ſufficeret ad ſuſtinendam tranſactionem deſuper initam, ut ibi latiùs deductum habetur.

ROMANA JURIS ACCRESCENDI
PRO
MONASTERIO S. ANNÆ
CUM
ECCLESIA S. MARIÆ DE MONTIBUS.

Reſponſum pro veritate.

De jure accreſcendi quando intret inter ſubſtitutos, & ad eorum favorem, vel potiùs portio defecta cedat commodo hæredis gravati.

Et quando plures in eadem diſpoſitione gravati dicantur, conjuncti re vel verbis; Et quando ſubſtitutiones dicantur particulares, vel univerſales.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*
2 *De jure accreſcendi, an detur ad favorem ſubſtituti in re particulari.*
3 *De conjunctione reali, ſeu verbali.*
4 *Poſita disjunctione ceſſat jus accreſcendi.*
5 *De ratione in qua fundatur jus accreſcendi.*

DISC. CXI.

TEſtatrix poſt mortem utriuſque filii ſine filiis, ac ejus viri, voluit Eccleſiam Sanctæ Mariæ Montium ſuccedere in ſcutis bis mille, in reliquis verò bis mille perfi-
1 cientibus ſcuta 4. m. in quibus ejus dos conſiſtebat, aliiſque bonis, ſuccedere voluit quemdam ejus fratrem; Cùmque frater ſubſtitutus dictis filiis gravatis prædeceſſiſſet, atque ex perſona unius ex filiis ſucceſſiſſet Monaſterium S. Annæ; Hinc orta eſt quæſtio inter dictum Monaſterium repræſentans perſonam hæredis gravati, & dictam Eccleſiam ſubſtitutam in ſcutis 2. m. An dicta reliqua ſcuta 2. m. & alia bona per mortem dicti ſubſtituti defecta, accreſcerent dictę Eccleſiæ ſubſtitutę, vel potiùs remanerent penes hæredem gravatum; Cùmque amicabiliter, ac abſque lite per utramque partem veritas exquireretur, pro eadem veritate ex parte Monaſterii conſultus Reſpondi.

Quæſtionem in puncto poni per Ripam *in l. reconjuncti n. 72. ff. de legat.* 3. ubi teſtatur ex multorum conſilio, pro hærede gravato contra ſubſtitutum fuiſſe deciſum per Ro-
2 tam Romanam coram Baſignano; Et Ripam ſequuntur Peregr. *de fideicomm. art. 9. n. 5.* Bellon. *de jur. accreſc. cap. 5. q. 43. n. 34. & cap. 7. q. 15. n.* 18. per quos reprobantur Jaſ. *conſ. 72. lib.* 3. & alii contrarium ſentientes; Ultra quod, ut benè advertit Bellon. *d. q. 15. n.* 18. non poteſt dici, quod Jaſ. ſit contrarius, quia loquitur de ſubſtitutione per verba civilia, quæ ſubſtineri poteſt tanquam directa, in qua, utpotè reſolvenda in primam inſtitutionem, intrat de neceſſitate jus accreſcendi, etiam ad favorem vocati in re particulari, ratione abſurdi, ne contingat paganum decedere pro parte teſtatum, & pro parte inteſtatum, quò abſurdo ceſſante non videtur ſubeſſe ratio, cur ad favorem ſubſtituti particularis intrare debeat jus accreſcendi in portione ſubſtituti univerſalis, per cujus prædeceſſum bona jure etiam teſtati remanent penes gravatum, fideicommiſſarius autem particularis loco legatarii habendus, debet eſſe contentus illa re, ad quam teſtator eum vocavit, Bellon. *d. cap. 7. q. 15. n. 12. & ſeqq.*

Quia verò agentes pro Eccleſia, ſatis inſiſtebant in jure accreſcendi deducto, Tum ex conjunctione, Tum etiam ex æqualitate vocationis, ita prætendendo, tam Eccleſiam, quàm fratrem teſtatricis eſſe æqualiter, vel ſubſtitutos univerſales, vel particulares; Hinc proinde ad claram veritatis indagationem, tres conſtituebam inſpectiones; Primò ſcilicet, an Eccleſia dictuſque alter ſubſtitutus eſſent conjuncti, & qua conjunctione, an ſcilicet verbali, vel reali, vel mixta; Secundò quatenus eſſent ſolùm verbaliter conjuncti, an intraret jus accreſcendi; Et tertiò quatenus eſſent disjuncti, an hoc non obſtante, dicto juri locus eſſet.

Quoad primum, nullam dicebam adeſſe conjunctionem, nec realem, nec verbalem, Non quidem realem, quoniam ejus principale requiſitum eſt, ut eadem res inſolidum, ac pro indiviſo pluribus relinquatur, unde quotieſcumque ad-
eſt partium diviſio facta ab homine, illa nullatenus prætendi poteſt, ut cæteris allegatis plenè probat Bellon. *hoc tract. cap. 5. qu. 1. nu. 5. & 6. q. 7. n. 1. per totum*, ubi contraria ſolvit, præſertim, ubi agitur de relicto quantitatis, quæ minùs admittit conjunctionem realem, quàm ſpecies, cùm quantitates de ſui natura non recipiant communionem, ſed ipſo jure, ac ab initio dividantur numero; Licèt enim non implicet, etiam in quantitatibus iſtam conjunctionem dari, juxta unam opinionem, de qua idem Bellon. *d. c. 5. q. 8. nu. 7. cum ſeqq. & qu. 5. nu. 49. & ſeqq.* Attamen id ſubſtineri poteſt, ubi eadem quantitas indiviſa pluribus relinquitur, ſed ubi teſtator diſtribuit partes, ac ſummas, tunc caſus videtur planus pro excluſione conjunctionis realis. 3

Minùs adeſſe dicebam conjunctionem verbalem, cujus principale requiſitum eſt ſermonis unitas, itaut duo, vel plures in eadem oratione vocentur ad text. *in l. unica, §. his ita definitis, C. de caduc. tollen.* ubi Bart. Bald. & cæteri; Secus autem ubi orationes ſunt diviſæ, ideoque ubi duorum vel plurium nomina non junguntur, ſed ſolùm junguntur orationes, & clauſulæ cum repetita expreſſione verbi ac portionis, tunc dicuntur disjuncti, quia nempe dicatur lego fundi Tuſculani partem dimidiam Titio, & alteram dimidiam lego Sempronio, juxta opinionem Bart. *in leg. reconjuncti*, quem cæteri magis communiter ſequuntur congeſti per Bellon. *d. cap. 5. q. 16. num. 19. & ſeqq.* Et talis erat caſus, ibi, *morendo &c. ſucceda in tal caſo in 2. m. ſcudi la Chieſa, &c. e negli altri 2. m. con tutti gli frutti vuole che ſucceda il Capitano &c.*

Sed quatenùs etiam dici poſſet adeſſe conjunctionem verbalem, adhuc tamen dicebam eam non ſuffragari ad effectum juris accreſcendi, cùm pro illius admiſſione requiratur, ut ad eamdem rem ſit vocatio, ſecus ſi ad diverſas, quales dicuntur, ſi teſtator ad eamdem quantitatem plures vocet, quia nempe relinquat mille Titio, & alia mille Sempronio, ſive ſingulis perſonis mille, ad text. *in l. qui filiabus, ff. de legat.* 1. Bellon. *d. cap. 5. q. 17. n.* 5. & habetur deductum in Præneſtina, ſeu Nepeſina ſub titulo de legatis, cùm ſolùm jus accreſcendi, juxta unam opinionem adhuc controverſam, cadat quoties partes ſunt incertæ, ac intellectuales, ſecùs autem ubi partes ſunt certæ per teſtatorem diviſæ, quæ ad oculum demonſtrari poſſunt.

Poſita verò disjunctione, ac præſuppoſito quod uterque ſubſtitutus, ſeu fideicommiſſarius eſſet particularis, dicebam, nullatenus juri accreſcendi locum eſſe poſſe, ſed quemlibet proprio relicto contentum eſſe debere, cùm ceſſaret inconveniens, quod in ſubſtitutione directa cauſa eſt juris accreſcendi, ne ſcilicet teſtator decedat pro parte teſtatus, & pro parte inteſtatus; Quinimò etiamſi ambo ſubſtituti univerſales dici poſſent, ut aliqui pro Eccleſia agentes dicebant, ex eo fundamento, quod teſtatrix utrumque vocaverat ad ſcuta 4. m. ſuæ dotis, (quæ de jure dicitur jus univerſale conſtituens univerſam hæreditatem, cum mulier non præſumatur aliud habere ultra dotem,) Adhuc tamen neque inter disjunctos propter disjunctionem à teſtatore factam intrat jus accreſcendi in fideicommiſſo univerſali ex deductis per Fuſar. *q. 495. n. 1. cum ſeqq.* Bellon. *d. cap. 5. q. 41. n. 6. & conſ. 84. n. 21. cum ſeqq. & conſ. 95. num. ultim.* Ex ea manifeſta ratione, quod jus accreſcendi fundatum eſt, vel in ratione conjunctionis, ex qua deſumitur præſumpta teſtatoris voluntas, vel in ratione inconvenientis, ne quis decedat pro parte teſtatus, & pro parte inteſtatus, quod non intrat in fideicommiſſaria ſubſtitutione, cùm portio deficiens remaneat penes hæredem gravatum ex teſtamento; Verùm hæc ex abundanti, quia verè dici non poterant ambo æqualiter ſubſtituti univerſales, nam Eccleſia erat ſubſtituta particularis in ſumma ſcutorum 2. m. Alter verò, nedum vocatus erat ad reliqua ſcuta 2. m. ſed ad integræ dotis fructus, ac etiam ad reliqua bona in univerſum, ut probant illa verba teſtamenti, *Et negli altri 2. m. con tutti li frutti, come anco in tutto il reſto delle coſe &c.* & ſic in univerſitate; Et ex his reſpondi nullum jus Eccleſiæ ad reliqua bona competere, atque his partes acquieverunt. 4

ANNOT. AD DISC. CXI.

DE jure accreſcendi inter ſubſtitutos, de quo agitur in præſenti diſcurſu, nulla poſtmodum ſuppetiit occaſio diſputandi in hac materia fideicommiſſaria, niſi in ſolo caſu, de quo *in hoc tit. diſc.* 243. ſolumque de hoc jure agitur *ſub tit. de emphyt. diſc. 2. 20. & 24. de Servit. diſc. 48. & 55. ſub tit. de Legat. diſc. 50. ſub tit. de Tutor. diſc. 1. & 11. ſub tit. de Jurepatr. diſc. 31. 33. 35. & 38. ſub tit. de Canon. & Capitul. diſc. 6. 7. & 8.*

FA-

FAVENTINA HÆREDITATIS
PRO
HORATIO SPATA & JULIO TORELLO
CUM
HÆREDIBUS CONSTANTIÆ & PANTHASILEÆ SEVEROLÆ.

Caſus deciſus per Rotam pro dictis Hæredibus.

De tranſmiſſione fideicommiſſi conditionalis in filios ſubſtituti præmorientis gravato pendente conditione, An & quando intret necne ad effectum concurſus cum aliis ſubſtitutis ſuperſtitibus.

Atque pluribus ſimul ſubſtitutis, ſi aliqui deficiant ante factum caſum fideicommiſſi, vel non exiſtant, An iſtorum portio caducata remaneat penes hæredem gravatum, vel potius accreſcat aliis ſubſtitutis.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Reſolutiones cauſæ.*
3 *De punctis diſputationis.*
4 *De ſubſtitutione ordinata favore plurium, an aliquibus defectis, vel non natis corruat in totum etiam quoad ſuperſtites.*
5 *Quatenus duret quoad ſuperſtites, an in toto, vel pro parte.*
6 *Quod in totum, & de jure accreſcendi.*
7 *De ratione dubitandi de repræſentatione.*
8 *Regulariter non datur tranſmiſſio fideicommiſſi conditionalis, ſed fallit ex conjecturis, ac tam regula, quàm limitatio eſt certa.*
9 *Quæ regula detur circa conjecturas pro limitatione.*
10 *Quæ dicantur conjecturæ ad id ſufficientes remiſſivè.*
11 *Recenſentur plures conjecturæ.*
12 *Diviſio erronea reſcindi poteſt.*
13 *Quod pro tranſmiſſione requirantur duæ conjecturæ contemplatæ agnationis, & digreſſus ad plures gradus ſubſtitutionum.*
14 *Declaratur dicta propoſitio cum diſtinctione caſuum, & de primo caſu.*
15 *Facilius intrat tranſmiſſio quàm vocatio.*
16 & 17 *De ſecundo, & tertio caſu.*

DISC. CXII.

ALbertus Severolus, inſtituto hærede Bartholomæo ex
1 fratre nepote, eidem ſine filiis maſculis morienti ſubſtituit ipſius filias fœminas, necnon Juniperam, Cæciliam, Conſtantiam, & Panthaſileam, ejuſdem gravati germanas ſorores; Cùm autem, prædefunctis Junipera ſuperſtite Julio, & Cæcilia ſuperſtite Horatio, obiiſſet dictus Bartholomæus abſque prole, Hinc orta eſt controverſia ſuper hac fideicommiſſaria ſucceſſione inter Conſtantiam, & Panthaſileam ſuperſtites, ac præfatos Horatium, & Julium duarum ſororum prædefunctorum filios; Et introducta cauſa in Rota coram Cerro, ſub die 27. Junii 1659. prodiit reſolutio favorabilis Conſtantiæ & Panthaſileæ, ſeu earum interim defunctarum hæredibus in excluſionem Horatii & Julii; Et repropoſita cauſa coram eodem, occaſione novæ Audientiæ ſub die ..... 1660. perſtitum fuit in deciſis, neque quod ſciam, cauſa hucuſque ulteriorem proſequutionem habuit.

In hujuſmodi autem diſputationibus, in quarum ſecunda
2 tantùm poſt editam primam deciſionem ego ſcribebam pro Horatio & Julio, duo erant puncti, Unus, An dicta ſubſtitutio concepta ad favorem tam filiarum ipſius gravati quàm ſororum, evanuiſſet, vel in totum, vel ſaltem pro medietate, Et ſecundò ſuper tranſmiſſione ſubſtitutionis conceptæ ad favorem dictarum Juniperæ, & Cæciliæ prædefunctarum in earum filios, qui proinde materiis æquales fierent.

Primus punctus duas habebat partes, Unam ſcilicet, An ſubſtitutio evanuiſſet in totum tanquam in caſu mixto, ſeu omiſſo ſub ea non cadente, dum teſtator eam ordinaverat cum præſuppoſito, quod ex gravato ſupereſſent filiæ fœminæ, ad quarum, ac ſororum favorem collectivè ſubſtitutio ordinata eſt, unde dum dictæ fœminæ natæ non fuerant, videbatur caſum ſuperexiſtentiæ ſororum tantùm non comprehendi, ideoque bona effecta eſſe libera; Et alteram, poſito quod ſubſtitutio in totum non evanuiſſet, An dictæ ſorores ex beneficio juris accreſcendi prætendere poſſent totam hæreditatem, vel potius medietatem.

Quatenus pertinet ad primam partem, Ego & cæteri inſiſtebamus ſuper omnimoda expiratione ſubſtitutionis ac bonorum libertate penes gravatum, cujus proinde ſucceſſio ex beneficio repræſentationis eſſet inter omnes contenden-
tes æqualis, freti authoritate Decii *conſ.* 89. quam cæteri 4
ſequuntur plenè relati per Cyriac. *controv.* 174. & Gratian. *diſcept.* 471. agentes de eodem caſu; Rotæ autem viſum fuit ſequi opinionem contrariam Alciati, de qua Gratus *conſil. 103. num. 4. cum ſeqq. lib.* 2. & Adden. ad eumdem Dec. *d. conſ.* 89. pro ſubſtitutionis duratione ac exiſtentia; Atque reflectendo ad veritatem, mihi quamvis in contrarium ſcribenti, in hac parte placuit reſolutio, dum hæc poſterior Alciati opinio probabilior videtur, ex ea clara ratione, quod teſtator vocavit perſonas natas, & naſcituras per nomen collectivum, unde liquet ipſum ſe præcisè non reſtrinxiſſe ad certas perſonas, quæ de neceſſitate inſimul ſuccedere deberent, itaut unis defectis, vel non natis, deberent aliæ ſuperſtites excludi per hæredem extraneum, ut eſt ſenſus Decii, cùm id nullam habeat probabilem rationem; Ac etiam quia ſi teſtator etiam in caſu quo hæres gravatus haberet proprias filias prædilectas, ac de jure ab ejus ſucceſſione excludentes ſorores, adhuc voluit iſtas vocare, multò magis & abſque dubio dicendum eſt eas dilexiſſe, ac vocare voluiſſe in concurſu hæredis extranei, ideoque quamvis ſuccumbens laudavi reſolutionem.

Quo verò alteram dicti primi puncti partem, ſcribens tanquam Advocatus, dicebam pro excluſione juris accre-
ſcendi reſpondendum videri, fretus eiſdem authoritatibus 5
Cyriaci *d. controv.* 174. & Gratian. *diſcept.* 741. apud quos habetur, quod teſtatore vocante in caſu obitus hæredis ſine filis maſculis, ejuſdem gravati filiam fœminam ad medietatem, ſi eſſet unica, & ad alteram medietatem ejus fratrem, ſi verò filiæ eſſent duæ, frater ſuccederet in ſola tertia parte, filiæ verò in reliquis duabus, ut dictis filiabus non extantibus, frater non niſi ſuam medietatem prætendere poſſet; Ponderando in idem, quod nullum reſultaret inconveniens ex hujuſmodi ſubſtitutionis diviſione, itaut purificetur in una parte, & non in altera, cùm non verſaremur in prima inſtitutione, in qua non datur hæc diſtinctio, ſed una portio trahit totum ex jure accreſcendi, vel non decreſcendi, ob inconveniens, ne quis decedat pro parte teſtatus & pro parte inteſtatus, quæ ratio non cadit in ſubſtitutione fideicommiſſaria, quam non implicat verificari in parte, & in parte deficere, dum portio deficiens adhuc jure teſtati remanet penes gravatum, vel ejus hæredem, ut in præcedentibus.

Verùm his non obſtantibus, reflectendo ad veritatem, credebam probabilius, ſubſtitutioni locum factum eſſe in
totum, ex clara conjunctione, tam reali quàm verbali inter 6
omnes ſubſtitutos, non obſtantibus dictis authoritatibus, quoniam quicquid ſit de illarum ſubſiſtentia in caſu ſuo, ceſſabat in hac facti ſpecie earum applicatio ob caſus diverſitatem, cùm ibi teſtator expreſsè diviſiſſet portiones, quo caſu intrat ut in præcedentibus difficultas adverſus jus accreſcendi, ſecus autem in præſenti, dum teſtator nullas diſtinxit perſonas, ſed omnes inſimul vocavit per nomen collectivum, explicando ſolùm portiones in genere ad inducendam æqualitatem, quod ſcilicet omnes ſuccederent æquis portionibus, nulla facta per ipſum diſtinctione.

Circa ſecundum punctum æqualis concurſus inter duas ſorores ſuperſtites, ac filios prædefunctarum, cùm in repræ-
ſentatione intrarent difficultates, de quibus ſupra in Fulgin. 7
fideicom. de Roncallis *diſc.* 21. Hinc proinde reſtringebatur quæſtio ad tranſmiſſionem, circa quam, reſecatis juxta laudabilem Curiæ ſtylum, ſuperfluis evagationibus ſuper iis,
quę aliàs apud noſtros majores in magna quęſtione exiſten- 8
tia, hodie ſunt plana ac deciſa, Præſupponebamus ſcribentes hincinde tanquam certas ac abſolutas, tam regulam tranſmiſſionis excluſivam, ut ſcilicet fideicommiſſum conditionale per morientem pendente conditione non tranſmittatur ad ejus filios, quam etiam regulæ limitationem, nedum ob expreſſam, ſed etiam conjecturatam voluntatem teſtatoris, quem in jure non dubitatur poſſe facere tranſmiſſibile id quod non eſt tale; Quare frequenter apud me riſum movere ſolet, quod in iſtis, ac ſimilibus receptiſſimis, ſatiſque vulgaribus principiis & propoſitionibus, cum magno improbo, tranſcriptoris potius quàm Doctoris labore, longæ retexantur allegationes, magnuſque fiat authorita-

tum

tum cumulus, cùm in effectu, ceſſante voluntate clara & expreſſa, quoties illa prætenditur conjecturalis, quæſtio juxta generalem naturam ferè omnium aliarum in conjecturali materia cadentium, ſit potiùs facti & applicationis quàm juris, ſuper pondere ſcilicet ac efficacia conjectura-
9 rum, circa quod certa & determinata regula dari non poteſt, niſi illa generalis, quæ datur diſtinguendo inter diſpoſitionem aſcendentis & tranſverſalis, ut primo caſu minores ſufficiant, in altero autem majores deſiderentur; Ac altera, ut conjecturæ non ſingulariter ac diſtinctè conſiderari debeant, ſed ſimul junctæ, cum conſueta regola, *ut ſingula, quæ non proſunt, &c.* De reliquo enim certa regula vel determinatio deſuper dari non poteſt, ſed totum pendet ex individui facti qualitate, ſingulorumque caſuum particularibus circumſtantiis, prudentis judicis arbitrio penſandis, ex quibus ſæpè contingit, ut aliquæ conjecturæ in uno caſu ſufficiant, in altero autem, eædem ac aliæ majores reputari mereantur inſufficientes, ut ſatis frequenter advertitur in præcedentibus ac ſequentibus, & in tot aliis quæſtionibus conjecturalibus.

Plures autem conjecturæ in hoc tranſmiſſionis propoſito poſt antiquiores ab eis relatos, collectæ ac examinatæ ha-
10 bentur apud Honded. *conſ.* 70. *libr.* 1. Noal. *de tranſmiſſ. caſu primo*, Fuſar. *de ſubſtitut. quæſtion.* 490. Capyc. Latr. *deciſ.* 1. apud quos ad ſatietatem concordantes, ac etiam habentur relatæ, vel reſpectivè canonizatæ apud Greg. *deciſ.* 56. *&* 551. Buratt. *deciſ.* 568. Celſ. *deciſ.* 88. *&* 176. & in deciſionibus editis in Narnien. & in Bituntina, de quibus infrà *in duobus diſcurſibus proximè ſequentibus*, & in aliis.

Ex quibus ad rem facere videbantur plures in dictis deciſionibus canonizatæ; Prima ſcilicet generalis præſumptionis, quod teſtator ſe conformare voluerit cum ordine inteſtatæ ſucceſſionis; Altera ex clauſula, *omni modo melio-*
11 *ri;* Tertia fortis ob æqualitatem, quam teſtator inter ejus neptes expreſsè ſervari voluit, vocando eas per nomen collectivum, unde propterea cadere non poterat ratio perſonalis dilectionis reſtrictæ ad ipſas; Et quarta reſultans ab obſervantia, dum ſequuta morte dicti gravati, facta erat æqualis diviſio inter dictas ſorores ſuperſtites, ac prædefunctarum filios; Licèt enim Rota in hujus cauſæ deciſionibus, præſertim prima quoad iſtam diviſionem, dicat eam tamquam erroneam non afficere, atque docto de errore poſſe retractari juxta text. *in l. cum putarem, in fin. ff. familia erciſc. cum concord.* per Pereg. *conſ.* 130. *lib.* 5. Spad. *conſ.*
12 50. *numer.* 16. *lib.* 1. Rota *deciſ.* 600. *part.* 5. *recent.* & ſæpiùs, atque concluſio in caſu quo error eſſet clarus, ſit vera, neque à me controverteretur, Dicebam tamen, etiam in ſenſu veritatis, id eſſe nimium conſiderabile tamquam obſervantiam interpretativam, ac unam ex conjecturis cum aliis uniendam.

Neglectæ autem fuerunt dictæ conjecturæ, ex eo quod illæ tamquam nimium vagę & generales eatenus eſſent operativæ, quatenus concurrerent aliæ efficaciores contem-
13 plationis agnationis & digreſſus ad plures ſubſtitutionum gradus, vel ſaltem earum altera, ſecus autem iis ceſſantibus, quod aſſumptum fuerat priùs firmatum in Hoſtien. fideicom. eod. anno 1659. cor. eodem Cerro, ac deinde pluries in aliis, præſertim in Interamnen. fideicom. 1. Februar. 1668. coram Carpinea, & in Firmana fideicomm. 14. Junii 1669. coram Albergato, edita in cauſa de qua ſupra in Firmana fideicomm. de Caſanova *diſc.* 98.

Super hoc autem aſſumpto, eodem ſenſu veritatis retento, credebam adeſſe gravamen ob illius fallaciam, ſaltem in ordine ad applicationem ad caſum; Ad quod compro-
14 bandum, tollendumque aliquod æquivocum, in quod de facili incidi poteſt capiendo iſtam propoſitionem ita generaliter ac indefinitè, ut etiam advertitur *dict. diſc.* 98. obſervabam omninò procedendum eſſe cum diſtinctione caſuum; Quorum primus eſt, ubi unico dato ſubſtituto, eoque moriente ante hæredem gravatum, contentio ſit inter ejus filios contendentes de exiſtentia & duratione fideicommiſſi ad eorum favorem jure tranſmiſſionis, & hæredem gravatum ſeu ejus hæredes, aut aliàs ab eo cauſam habentes contendentes de libertate bonorum, ac ſubſtitutionis caducatione; Et tunc ſatis vehementes deſiderantur conjecturæ ad inducendam hujuſmodi tranſmiſſionem, nedum ob generalem favorem libertatis, ſed etiam quia in effectu agi dicitur de prorogando fideicommiſſo, eoque extendendo ad perſonas non vocatas, unde propterea plures reſiſtunt regulæ; Et quoniam inter conjecturas præfatæ duæ reputari ſolent urgentiores, aliæ verò ſunt magis leves & vagæ, idcircò quando ipſæ, vel earum altera concurrunt, tunc de facili admittitur dicta limitatio, illæque ſunt nimium conſiderabiles, atque robur & fomentum præbent aliis de per ſe levioribus; Verùm non per hoc dici poteſt quod ſint præcisè neceſſariæ, itaut eis vel earum altera non accedentibus, dari non valeat tranſmiſſio; hoc enim nullum habere videtur fundamentum; Siquidem, ut advertitur in dictis deciſionibus Gregorii & Buratti, ac in aliis frequenter, receptum eſt, facilius ex conjecturis induci tranſmiſſionem, 15
quàm vocationem, ob rationem ex Giovagn. *conſil.* 82. & aliis inſinuatam ſupra in d. Firmana *diſ.* 98. Et tamen, ut non ſemel advertitur in præcedentibus, ad materiam vocationis conjecturalis filiorum in conditione poſitorum, dictæ duæ conjecturæ reputantur quidem ſatis validæ & efficaces, ſed non ſunt neceſſariæ, dum etiam ſine illis dari poteſt vocatio, ergo multò magis tranſmiſſio, quæ eſt facilior.

Alter caſus eſt, ubi durante ſubſtitutione, quæſtio tranſmiſſionis fraternizet cum illa repræſentationis, vel ſubingreſſionis, ad effectum, ut filii præmorientis, quamvis remotiores, concurrere valeant cum proximioribus, qualis eſt propriè caſus noſter, & tunc ut patet ex deductis in Nar- 16
nien. *diſc. ſeqq.* faciliùs intrat tranſmiſſio ex vehementi motivo æqualitatis quam veriſimiliter teſtator ſervari voluerit, Et tamen, ut patet ex authoritatibus & deciſionibus tam ſupra, quàm in eadem Narnien. inſinuatis, nulla videtur urgere congrua ratio, ob quam ſit neceſſarius concurſus hujuſmodi conjecturarum, dum iſte caſus eſt longè facilior, quàm præcedens, atque non concurrit tanta regularum reſiſtentia, ſed potius aliqua aſſiſtentia.

Et licèt in deciſione edita in dict. Narnien. coram Bevilaqua, excitato per me iſto motivo neceſſarii concurſus iſtarum duarum conjecturarum, in hujus cauſæ prima deciſione quam allegabam deducto, admittatur concluſio, ſed credatur illi ſatisfactum eſſe ob concurſum ſecundæ conjecturę digreſſus ad plures gradus, Attamen egomet qui motivum deducebam, pro meo ſenſu, non credebam illud ſubſiſtere, quodque iſta reſponſio, vel non ſufficeret, vel non eſſet neceſſaria pro illius caſus qualitate, dum ulterior digreſſus rectè conſiderabilis eſt in tertio caſu, de quo infra, & ne ulterior ſubſtitutus veriſimiliter minùs dilectus excludat filios primi ſubſtituti veriſimiliter prædilectos juxta caſum, de quo in Bituntina *diſc. poſt ſequentem*, ad ea quæ latiùs habentur ſupra *d. diſc.* 98. Ubi verò agitur de eodem gradu ſubſtitutionis, ac de ſola contentione proximitatis, ad effectum ut ita remotior redditur proximiori æqualis, tanquam, ut dictum eſt, per quamdam ſpeciem repræſentationis, vel illius ſubingreſſionis, quam aliqui *vulgarem* anomalam quoque dicere ſolent, juxta pluries deducta in præcedentibus, præſertim *diſc.* 17. *&* 18. tunc non videtur, ad quid deſiderandus veniat iſte ulterior digreſſus, vel agnationis contemplatio, & quænam ratio ad id cogat.

Tertius demum eſt ſupra inſinuatus caſus, de quo in d. Bituntina *poſt diſc. ſeqq. ac d. diſc.* 98. ubi ſcilicet hærede gravato non exiſtente in cauſa, neque ſperante libertatem bonorum, quæ vel ad tranſmiſſarium, vel ad ulteriorem ſub- 17
ſtitutum ſpectare debeat, ſola controverſia ſit inter iſtos de pertinentia, Et tunc licèt *diſc.* 98. proceſſum quoque fuerit cum hoc aſſumpto neceſſarii interventus hujuſmodi conjecturarum, attamen id nullam probabilitatem habere videtur, atque de facto tam apud Greg. *d. deciſ.* 56. quàm in Bonon. de Fornaſariis coram Veroſpio, relata in d. Bituntina coram Albergato impreſſ. *dec.* 377. *eadem par.* 11. curata non fuit hæc neceſſitas, cùm tamen ageretur etiam de fideicommiſſo tranſverſalis; Ulterior verò digreſſus benè conſideratur cum hærede gravato, qui excluſa tranſmiſſione, ſperet bonorum libertatem, cùm ita removeatur objectum cum replicatione, quod niſi ſuccedat tranſmiſſarius, neque bonorum libertas reſultat, ſed ſucceſſurus eſt ulterior ſubſtitutus, & ſic tanquam argumentum ad hunc effectum, non autem quod ſit qualitas præcisè neceſſaria ad omnes caſus, præſertim ad ſecundum, de quo in præſenti, Unde propterea in hac parte reſolutiones non captivarunt intellectum.

ANNOT. AD DISC. CXXII. cum ſeqq.

De materia tranſmiſſionis in his diſcurſibus contenta, habentur ſolùm aliqua deducta *in hoc eod. tit. diſc.* 229.

Prima deciſio emanata in *diſc.* 112. eſt impreſſa *deciſ.* 111. *p.* 13. *recent.*

Altera deciſio enunciata in *diſc.* 113. habetur *in ead. p.* 13. *deciſ.* 203.

NAR-

NARNIEN. FIDEICOMMISSI
PRO
DOMINICO & PETRO
CUM
CYNTHIA DE CARONESTIS.

Caſus deciſus per Rotam pro Cynthia, poſteà concordatus.

De eadem materia tranſmiſſionis, ad eumdem effectum de quo in præcedenti, pro admittendo ſcilicet concurſum filiorum ſubſtituti præmorientis cum aliis ſubſtitutis ſuperextantibus.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Reſolutiones cauſæ.*
3 *De conjecturis ex quibus intrat tranſmiſſio.*
4 *De rationibus dubitandi de reſolutione.*
5 *Succeſſio inter fratrum filios eſt in capita, ubi non adeſt concurſus cum patruis.*
6 *De argumentis excludentibus tranſmiſſionem.*

DISC. CXIII.

1 Jacobus de Caroneſtis, inſtitutis duobus ejus filiis, eis abſque prole morientibus, vocavit Cincium, & Præcovium fratres, ac Dominicum & Petrum alterius prædefuncti fratris filios in ſtirpes; Cumque facto caſu mortis dd. inſtitutorum, poſt mortem prædictorum Cincii, & Præcovii, præfati Dominicus & Petrus nepotes ex altero teſtatoris fratre prędefuncto ſolùm ſuperſtites prętenderent factum eſſe caſum ſubſtitutionis ad eorum favorem tantùm, inſurrexit Cynthia dicti Præcovii filia, prætendens ex jure ſubſtitutionis ejus patris in ipſam tranſmiſſo, ſibi æqualem ſucceſſionem deberi (cum cadere non poſſet quæſtio repræſentationis, eo quod defuncti eſſent ultra illum gradum, in quo ea intrat in ſucceſſione inteſtata, juxta cujus ordinem etiam
2 hæc fideicommiſſaria regulatur ex pluries deductis in præcedentibus, præſertim *diſc.* 17. *&* 18. Et introducta cauſa in Rota cor. Bevilaqua, ſub die 30. Aprilis 1660. prodiit reſolutio Cynthię favorabilis; Admiſſa ſiquidem regula tranſmiſſionis excluſiva, & præſuppoſita pariter recepta limitatione ex conjecturis, inhærendo firmatis apud Greg. *dec.* 56. *&* 551. & apud Buratt. *deciſ.* 568. & in Bituntina cor. Alberg. *dec.* 377. *p.* 11. *recen.* judicatum fuit ad id ſufficientes eſſe tres conjecturas in effectu in idem conincidentes, Primò ſcil.
3 quod teſtator æqualiter vocavit Pręcovium fratrem, ac duos filios alterius fratris prædefuncti in ſtirpes, unde tantum habere deberet ille ſolus, quantum iſti duo, & ſic eum prædilexit, ideòque veriſimile eſt, quod ſi cogitaſſet ad ejus pręmorientiam, etiam ejus filios vocaſſet; Secundò ob præſumptionem, quod teſtator in dubio cenſeatur ſe conformare cum diſpoſitione juris circa ordinem inteſtatæ ſucceſſionis; Et tertiò ex eo quod cùm haberet fratres viventes, vocaverit etiam nepotes ex fratre prædefuncto, ſignum clarum, quod dilectio reſtricta non erat ad perſonas fratrum, ſed extendebatur etiam ad eorum filios.

Reſolutio mihi ſcribenti pro Petro, & Dominico non ſatisfaciebat, unde in repropoſitione occaſione novę audientiæ, credebam probabiliter ſperandum eſſe receſſum, vel
4 moderationem, quod ſaltem æqualis eſſet contendentium conditio, ſuccedendo potiùs jure vocationis, quàm tranſmiſſionis, ſed ſubſequuta concordia ſubſtulit ulterioris diſputationis occaſionem.

Durus ſiquidem parumque probabilis mihi videbatur effectus ex tranſmiſſione reſultans, deſtructivus dictarum conjecturarum, præſertim ſecundæ ſuper præſumpta voluntate ſervandi æqualitatem, quoniam ita poſita tranſmiſſione omnium jurium patris in filiam reſultabat, quod melioris conditionis eſſet unica fœmina, quàm duo maſculi, cùm tanta eſſet portio iſtius, quanta illorum contra omnem probabilitatem. Licet enim huic inæqualitati, tam de jure, quàm ex judicio teſtatoris locus fuiſſet, ſi dictus Præcovius Cæciliæ pater fuiſſet ſuperſtes, Attamen diverſa eſt ratio, quoniam de ſtricto jure, ac attento ordine proximitatis, frater in ſucceſſione fratris totum obtinere deberet in concurſu nepotum ex alio fratre defuncto, tanquam gradu remotiorum, qui ex quadam æquitativa legis fictione ad æqualitatem admittuntur, tanquam repræſentantes eorum patrem, fingendo quod hic viveret; & quæ fictio conſideratur etiam in tranſmiſſione, ut advertitur ſuprà *diſc.* 98. Hæc autem ratio adaptabilis non erat ad caſum, cùm ita ceſſaret dicta proximitas, dictaque Cæcilia eſſet in eodem gradu cum præfatis Dominico, & Petro, unde quando etiam non obſtaret ſtatutum excluſivum fœminarum propter maſculos, itaut ſervandus eſſet ordo ſucceſſionis, qui per jus noviſſimum, ſublata ſexus, & agnationis differentia, præſcriptus eſt, ad ſummum dicta Cæcilia aliud prætendere non potuiſſet niſi æqualem ſucceſſionem cum ſingulis in capita, dum hodie ubique, præſertim verò in Rota, & Curia extra quæſtionem recepta eſt opinio Azzonis contra Accurſium, ut ceſſante concurſu nepotum cum patruo, itaut neceſſa- 5
rium ſit beneficium repræſentationis, per quod remotiores reddantur proximiori æquales, ſucceſſio inter plurium prædefunctorum fratrum filios ſit in capita, non autem in ſtirpes, ex deduct. per Burat. & Add. *dec.* 352. Rot. *dec.* 600. *p.* 5. *rec.* & frequenter.

Fortius verò, quia non improbabilia adminicula, & argumenta concurrere videbantur, quod teſtator neglexerit fœminas, quæ ex fratribus prædictis eſſent ſuperſtites in 6
concurſu maſculorum, itaut vocatio eſſet perſonalis, ac reſtringeretur ad eos, quatenus ſuperviverent, dum in facto ſupponebatur, quod de tempore teſtamenti dictus Præcovius ſuſcepiſſet hanc filiam jam teſtatori cognitam, illeque eſſet in adeò gravata ætate, quod veriſimiliter alios filios ſperare non poſſet, Unde propterea teſtator vocando dictum Præcovium illique ſubſtituendo alios fratres, vel nepotes ſuperſtites, neglexit ponere in conditione ejus filios, ideòque videbatur, quod dictam fœminam in propoſito neglexiſſet.

Conſiderando etiam, quod in hac Civitate viget ſtatutum fœminarum excluſivum ſatis celebre in Curia ob celebres deciſiones Narnien. cor. Merlino inter ſuas *dec.* 353. *&* 390. quæ in hac ſtatutaria materia circumferri videntur tanquam magiſtrales; Licet enim ſtatutum non caperet caſum, neque adeò ultro progrederetur, attamen illud dicebam conſiderabile pro attendendo morem regionis conformem antiquis moribus Romanorum ac Italiæ pro regulanda voluntate teſtatoris, veriſimiliter negligendi fœminas extantibus maſculis agnatis æqualis gradus, quodque ſaltem iſtæ conjecturæ ſufficerent ad debilitandas alias in contrarium, ut non remanerent operativæ, ac propterea inhærendum eſſet regulę excludenti tranſmiſſionem.

BITUNTINA FIDEICOMMISSI
PRO
GIACCHETTIS
CUM
JO: BAPTISTA COZZANO.

Caſus deciſus per Rotam pro Giacchettis.

De eadem materia tranſmiſſionis fideicommiſſi conditionalis in filios ſubſtituti præmorientis ex conjecturis.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Reſolutio cauſæ.*
3 *De conſuetudine Bituntin. ſuper dote, an debeatur filiis remiſſivè.*
4 *De regula, & limitatione in materia tranſmiſſionis remiſſivè.*
5 *De aliquibus conjecturis pro tranſmiſſione.*
6 *De illa exiſtentia perſonæ prædilectæ ac abſurdi aliàs reſultantis.*
7 *De vulgari anomala præſervante à caducatione.*
8 *De alia conjectura tranſmiſſionis quando alias ſucceſſurus ab inteſtato eſſet teſtatori exoſus.*

DISC. CXIV.

Antonia de Electis, inſtituto Marco Antonio filio infan- 1
te, huic in pupillari ætate, vel quandocumque morienti ſine filiis legitimis & naturalibus decedenti, ſubſtituit quamdam piam ſocietatem, cum onere ſubſidiorum pauperibus puellis; Cùmque prius obiiſſet Octavia, ſuperſtitibus fratribus de Giacchettis ejus filiis, deinde verò d. Marcus Antonius ab inteſtato, cujus legitima ſucceſſio delata fuit Jo: Baptiſtæ patri, Hinc in bonis teſtatricis orta controverſia inter dictos de Giacchettis, ac dictum hæredem ſuper ſubſtitutionis purificatione in Curia Epiſcopali Bituntina,

 pro-

prodiit ſententia abſolutoria hæredis rei conventi, atque commiſſa per appellationem cauſa in Rota cor. Alberg. datoque dubio, An conſtaret de fideicommiſſo, itaut danda eſſet immiſſio ſub die 12. Martii 1651. affirmativa prodiit re-
2 ſolutio, atque deciſio deſuper edita habetur impreſſa *dec.* 377. *p.* 11. *rec.* & repetit. poſt Cenſal. ad Peregr. *dec.* 18. cui reſolutioni victus acquievit, inſiſtendo magis ſuper detractionibus totum penè aſſem hæreditarium abſorbentibus, dum inter detractiones prætendebatur integra ejuſdem teſtatricis dos debita filiis, uti filiis jure proprio in vim conſuetudinis illius Civitatis, ac deſuper prodiit reſolutio ipſi
3 reo favorabilis, deindeque cauſa concordata fuit; Atque de hoc ſecundo puncto dotis, ſeu conſuetudinis prædictę habetur actum in hac eadem cauſa *ſub tit. de dote, diſc.* 144.

Quatenus igitur pertinet ad primum punctum fideicommiſſi, non controvertebatur regula ex parte rei conventi deducta, quam ego ſcribens pro actoribus jam præſupponebam, ſuper caducatione fideicommiſſi conditionalis reſultante ab obitu ſubſtituti ante inſtitutum, ac negatione tranſ-
4 miſſionis ad proprios filios. Sed punctus erat in pariter recepta limitatione ex conjecturis, ex quibus quamvis verſaremur in diſpoſitione tranſverſalis (quo caſu pariter receptum eſt majores ac efficaciores requiri conjecturas, quàm in illa aſcendentis) judicatum fuit limitationem reſultare, Atque reſolutio, reflectendo etiam ad veritatem, viſa eſt juſta benèque fundata.

Concurrebant ſiquidem conjecturæ generales, de quibus in pluribus proximè præcedentibus diſcurſibus, ac etiam *diſc.* 98. ex authoritatibus ac deciſionibus ibi allegatis, reſultantes, Primò ſc. quod poſiti eſſent filii in conditione; Secundò ex qualitate legitimorum & naturalium eis adjecta; Tertiò ex aliquo digreſſu ad plures gradus, Et quartò ex pro-
5 hibitione alienationis, quæ tamen utpotè vagæ & generales in quocumque teſtamento aliquam ſubſtitutionem continente frequentius adjici ſolitæ, ſolæ & de per ſe non videntur ſufficere, benè tamen operativæ ſunt, concurrente aliqua conjectura ſpeciali magis proximè hujuſmodi voluntatem ſuadente, vel denotante.

Duæ autem conjecturæ ſpeciales in hac facti ſpecie concurrebant, id benè concludentes, Primò ſcil. dicta ulterior ſubſtitutio loci pii minùs dilecti, quàm eſſent filii primi ſub-
6 ſtituti ad ejus excluſionem in conditione poſiti, atque in illorum concurſu quamvis tranſverſalium habendi jure extranei; Tunc enim intrat ratio abſurdi latè expenſa *in d. diſc.* 98. quod ſc. ceſſat altera ratio prohibitiva extenſionis fideicommiſſi, ac prorogationis ſervitutis, dum niſi tranſmiſſarius ſuccederet, ſubintraret alia ſubſtitutio ad favorem loci pii non defecturi, & cui obſtare non poterat caducatio gradus præcedentis ob vulgarem in fideicommiſſo aliàs anoma-
7 lam, juxta theor. Bart. *in l. quamdiu n.* 10. *ff. de acqu. hæred.* latiſſimè in ſpecialibus terminis piæ cauſæ canonizatam in Ravennat. bonorum coram Corrado *deciſ.* 12. *p.* 10. *rec.* & in aliis de quibus ſupra in Peruſina fideic. de Anſideis *diſc.* 107. & in aliis ibi proximis, dum in hac facti ſpecie non concurrebant circumſtantiæ tales, quæ ſuadere poſſent, quod dicta ſubſtitutio concepta eſſet per ſolam fideicommiſſariam juxta alteram theor. Angeli *in ead. l. quamdiu, de qua eodem diſc.* 107. Ideòque pernecеſſe ſuccedere debuiſſet dictus locus pius, ulterior ſubſtitutus minùs dilectus, excludendo illos filios, qui ad ejuſdem ſubſtituti excluſionem poſiti fuerunt in conditione, & conſequenter prædilecti; Et propterea ne reſultaret ſuperius inſinuatum abſurdum, præpotens reſultat conjectura tranſmiſſionis inductiva, ut *d. diſc.* 98. ubi habentur authoritates hujuſmodi conjecturam canonizantes; Et quidem videtur ſatis efficax, magnique facienda, quoniam non reſultat à formalitate verborum, & clauſularum, quæ ex Notariorum ſtylo frequentius apponi ſolent, ſed ex ipſo facto, etiam in ſenſu humano, ſeu naturali talem voluntatem veriſimiliter ſuadente.

Altera erat magis proxima conjectura facti, quod teſtatrici probabatur infenſus dictus ejus vir, hæredis gravati re-
8 ſpectivè pater, non ſolùm per extrinſecas probationes deſuper deductas, ſed etiam ex ipſomet contextu teſtamenti, dum vivente filio hærede inſtituto, teſtatrix ei prohibuerat, tam uſumfructum quàm adminiſtrationem, aliaque ordinaverat viro odioſa, dictam adverſionem clarè denotantia; Ideòque ſciens, quod ejus filio ab inteſtato morienti ipſe vir tanquam pater & unicus proximior ſuccedere debuiſſet, ita huic per eam abhorritæ ſucceſſioni occurrere voluit, non ſolùm per ſubſtitutionem ſororis, qua præmoriente ſine filiis ſubſtitutio caducari potuiſſet, ſed etiam per ulteriorem ſubſtitutionem loci pii nunquam defecturi, per quam ita de hoc reddebatur tuta, iſtaque conjectura in ſpecie odibilitatis ejus, qui data ſubſtitutionis caducatione, fuiſſet veriſimiliter ſucceſſurus, ponderatur per DD. de more collectos per Fuſar. *q.* 490. *n.* 100. *cum ſeq. & nu.* 185. & per Buratt. *dec.* 568. *nu.* 9. cum aliis in hujus cauſæ deciſione, quæ proinde ſolida remanet.

TUDERTINA FIDEICOMMISSI DE ACCURSIIS
PRO
LUDOVICO ET FRATRIBUS DE ACCURSIIS
CUM
PAULO PHILIPPO DE LÆLIIS.

Caſus diſputatus coram Arbitro, ac diſputari præparatus in Rota, poſtea concordatus.

De extẽſione fideicommiſſi ad filios primi ſubſtituti, vel gravati in excluſionem ulterioris ſubſtituti ex diſpoſitione tex. *in l. cum avus, & l. cum acutiſſimi*, etiam in teſtamento tranſverſalis, Atque de ſuppletione per legem facienda caſus per teſtatorem omiſſi, per eum tamen veriſimiliter voliti.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Auditores Rotæ etiam tamquam arbitri non judicant abſque diſputatione in Rota.*
3 *Diſpoſitio* l. cum avus, & l. cum acutiſſimi *procedit in deſcendentibus, non in tranſverſalibus.*
4 *De regula prohibente extenſionem de caſu ad caſum.*
5 *De alia regula prohibente ſuppletionem caſus omiſſi.*
6 *De diſtinctione circa probationem voluntatis defuncti, an debeat eſſe ſolemnis, vel ſufficiat naturalis etiam adminiculativa.*
7 *Quomodo circa dictas regulas num.* 3. *&* 5. *ſit procedendum.*
8 *Quod frater teſtatoris cælibis habeatur loco filii, ipſeque teſtator loco aſcendentis.*
9 *Declaratur concluſio, de qua n.* 4. *ſuper extenſione.*
10 *Et alia concluſio, de qua n.* 5. *ſuper ſuppletione.*
11 *Quod iſta ſit quæſtio facti & applicationis.*
12 *Quod in hac facti ſpecie intraret extenſio, vel ſuppletio.*
13 *Teſtamentum præparatum & imperfectum attendi debet pro interpretatione vel conjectura.*
14 *Scriptori teſtamenti eſt multum deferendum.*
15 *Ponderantur aliquæ imperfectiones teſtamenti, ex quibus conſtat indigere ſuppletione.*
16 *De diſtinctione quando facilius, vel difficilius intret extenſio, vel ſuppletio.*

DISC. CXV.

Mercurius de Accurſiis, duos habens fratres uxoratos, 1
Attilium & Cinthium, quorum primus ob uxoris ſterilitatem jam certificatam, cum ipſius Mercurii nimia diſplicentia de prole deſperatus credebatur, in ſtatu ſanitatis, teſtamentum propria manu præparavit, in quo eoſdem fratres æqualiter inſtituit cum reciproca inter eos, & cum perpetuo ſucceſſivo fideicommiſſo, cum ordine primogenituræ in utriuſque univerſa linea maſculina, qua defecta, eamdem primogenituram ordinavit in linea maſculina ejus ſororis, cum onere aſſumendi cognomen & inſignia, pluries explicata enixa voluntate contemplationis agnationis & conſervationis bonorum in ea; Cùm autem dicto teſtamento ita præparato, ad actum teſtandi non redacto, ex improviſo gravi ac violento lethali morbo oppreſſus eſſet, hinc dictæ ſcripturæ præparatoriæ immemor, injunxit Hieronymo Lælio ex dicta ſorore nepoti Juriſconſulto, ut redigeret in ſcripturam ejus voluntatem, eo quo potuit modo inter illius ſtatus anguſtias ſibi communicatam, dictaque ſcriptura ob temporis brevitatem, ita ipſo teſtatore mandate, ei non lecta, conſignata fuit Notario juxta formam hodie frequentiorem teſtamenti nuncupativi nuncupatione implicita, in qua legebantur inſtituti præfati Aquilius & Cinthius, quorum primo nullis in conditione poſitis filiis ſubſtituit alterum, cui ſubſtituit Franciſcum Mariam unicum filium, quem tunc habebat, cum perpetuo fideicommiſſo cum ordine primogenituræ in univerſa ejus deſcendentia, qua defecta vocavit cum eodem ordine primogenituræ, prius dictum Hieronymum, deinde duos alios ex eadem ſorore nepotes, injuncto præcepto aſſumendi cognomen & inſignia, & renovandi familiam,

Poſt teſtatorem objerunt dictus Franciſcus Maria Cinthii filius, necnon duo ex dictis nepotibus ex ſorore, deindeque Cinthius, qui prole carens, hæredem ſcripſit quoddam Monaſterium erigendum, Aquilius verò, mortua prima uxore ſterili, alteram duxit ſecundam, ex qua plures filios ſuſcepit, quos, cum diſpoſitionibus ad rem non facientibus, in ejus pingui aſſehæredes inſtituit. Unde ſequuta morte, contra præfatos prætenſionem excitarunt in bonis à dicto Mercurio obvenientibus, tam Monaſterium erigendum, ſeu pro eo Epiſcopus ex juribus dicti Cinthii, quàm Paulus Philippus filius unius ex dictis nepotibus ex ſorore, compromiſſaque cauſa in Tajam Rotæ Auditorem, pluribuſque coram eo habitis congreſſibus, ſeu diſputationibus, excitata fuit difficultas, quod ipſe non poſſet ſolus deſuper
2 aliquod laudum proferre abſque diſputatione in plena Rota, ex hujus Tribunalis ſtylo recenſito *dec.* 125. *p.* 2. *diverſ.* unde proptereà commiſſa fuit per Signaturam Sanctiſſimi cauſa in dicto Tribunali coram eodem Taja, præparatiſque informationibus pro furura diſputatione, illius occaſionem ſubſtulit ſubſequuta concordia, me laudante & cooperante, quæ controverſiæ finem dedit.

In diſputationibus autem habitis coram dicto Arbitro, ac etiam in Advocatorum congreſſibus pro cauſæ directione in futura diſputatione habenda in Rota, Dicebant ſcribentes pro actore, ac etiam dubitabant alii ſcribentes pro hac parte, quod omnes regulæ & concluſiones actori aſſiſtebant, reſiſtebant autem reis conventis nullibi in teſtamento vocatis, unde propterea nullum habebant ſuccedendi titulum, vel ſe opponendi; Non quidem ex illo hæreditario Aquilii eorum patris in propria portione, dum ſubſtitutio ſibi facta ad favorem actoris ob aliorum præmorientiam erat expreſſa, ſub qua ſubintelligi non poterant in conditione poſiti ejus filii ex diſpoſitione textus *in l. cum avus, ff. de condit. & demonſtrat. & l. cum acutiſſimi,*
3 *C. de fideicommiſſis*, dum receptum eſt regulariter dictorum jurium diſpoſitiones procedere in diſpoſitione aſcendentis cum deſcendentibus, quorum reſpectu illa admittitur *in Bonon. fideicommiſſi de Volta, diſc.* 31. *& in aliis*, ſecus autem in diſpoſitione tranſverſalis, vel extranei, ut in ſpecie de fratre latiſſimè colligit Fuſar. *qu.* 397. *num.* 1. *ubi num.* 6. refert paucos tenentes contrarium. Et generaliter de extraneo *qu.* 394. ac dixit ſæpius Rota, præſertim moderno tempore occaſione articuli, ſeu quæſtionis ſuper impedienda reſolutione numeri pluralis in ſingularitates ob exiſtentiam perſonæ predilectæ *in Romana fideicommiſſi de Ferratinis* 14. *Maji* 1666. 14. *Januarii, &* 2. *Decembris* 1667. *&* 5. *Martii* 1660. coram Otalora, *& in eadem* 17. *Junii* 1660. coram Carpinea.

Minuſque jure propriæ expreſſæ vocationis, dum illa nul-
4 libi legebatur expreſſa, ubi verò prætenderetur per extenſionem, vel per ſuppletionem caſus omiſſi, tunc in utroque obſtant regulæ prohibentes, tam extenſionem de caſu ad ca-
5 ſum quàm ſuppletionem, ut de extenſione plenè colligit elaboratus, ac diligentiſſimus in hac parte nimium commendandus, ac admirabilis Fuſar. *q.* 460. *& alibi*; Et de ſuppletione, ut pariter in jure prohibita ſit, idem collector Fuſar. *q.* 244. & magis ex profeſſo *q.* 284. ubi cæteri.

Si verò prætendebatur deduci extrinſecus, dicebant non ſufficere aliquam probationem naturalem, ſed requiri probationem ſolemnem per ſeptem, vel ad minus quinque te-
6 ſtes, ut antiquioribus relatis plenè apud Surd. *conſ.* 129. Fuſar. *q.* 283. Caſtill. *lib.* 4. *controv. c.* 19. & Rota ſæpius præſertim *in Romana annuæ præſtationis* 4. *Julii* 1663. coram Bevilaqua *impreſſ.* poſt Zuff. *de legitim. proceſſ. dec.* 102. ubi canonizatur recepta diſtinctio, de qua ſæpius *ſub tit. de teſtamentis*, inter illam probationem, quæ fiat pro interpretatione, ſeu corroboratione ejus, quod implicitè contineri poteſt in teſtamento, & aliam probationem illius voluntatis, quæ nullatenus in teſtamento contineatur, ſed tamquam omiſſa extrinſecus probari prætendatur, ut primo caſu ſufficiat ſola probatio naturalis, quinimo etiam per teſtes ſingulares, ac præſumptiones & adminicula, in altero autem requiratur probatio ſolemnis, tamquam ſuper omninò nova & diverſa diſpoſitione.

Et ſi hæc procedebant in portione Aquilii proprii patris, multò magis procedere dicebant in altera portione Cinthii patrui, à quo magis remoti erant, adeout etiamſi eſſent expreſsè in conditione poſiti, atque ex Statuto, vel conjecturis

vocati, adhuc regulariter talis vocatio intelligenda venit ad portionem proprii patri, cui poſiti ſunt in conditione, non autem ad portionem patrui, ex pluries deductis in præcedentibus ad hanc materiam filiorum in conditione poſitorum.

Ego verò ſcribens pro dictis filiis Aquilii reis conventis, agnoſcendo quod attento rigoroſo leguleico judicandi more, cum hujuſmodi regulis ac propoſitionibus, ſeu cum literali ſenſu doctrinarum, ſatis timendum eſſet; Hinc proinde, nedum conſenſum præſtiti concordiæ, verùm eam ſuaſi, atque in ea aliquam habui cooperationem; Verùm procedendo cum eo principio, quod pro meo ſenſu eſt anima hujuſmodi fideicommiſſariæ materiæ, omniumque caſuum, in quibus de ambigua voluntate diſputari contingat, 7
ut ſcilicet non cortex & figura verborum, ſed ſubſtantia veriſimilis voluntatis attendi debeat; Advertebam, quod dictæ regulæ & concluſiones generales, quas in hac materia habemus, non inducunt probationem certam ac indubitatam, ſed ſolum præſumptivam in dubio attendendam, quando aliæ majores præſumptiones, & conjecturæ non urgeant, ex recepto pariter principio, quod præſumptio præſumptionem tollit, atque major vincit minorem, cum ſimilibus; Et ſic dicebam, quod vera quidem eſt regula, ut diſpoſitio dictorum jurium *in l. cum avus, & in l. cum acutiſſimi*, pro ſubintelligenda conditione, *ſi ſine filiis*, procedat in deſcendentibus, non autem in tranſverſalibus, vel extraneis, ſed eſt regula inducens ſimplicem præſumptionem juris, non autem juris, & de jure, neque prohibens, quin contrarium probari poſſit etiam conjecturaliter, ac adminiculativè, ut abſque contradictione eſt ſenſus omnium collectorum, per Fuſar. *d. qu.* 394. *&* 397. cùm nulla ſubſit ratio dubitandi.

Fortius verò in hac facti ſpecie, quando ſcilicet non agitur de diſpoſitione extranei, vel remoti tranſverſalis, itaut dici valeat merè perſonalis, ac proveniens à motivo affe- 8
ctionis erga perſonam, cujus favore diſpoſitum eſt, & cujus perſonam non tranſcendant abſque tractu ſucceſſivo ad favorem ejus filiorum, quia in eis non militet eadem ratio prædilectionis, quæ potius aſſiſtat ſubſtituto, & in qua ratione propriè fundatur dicta diſtinctio inter aſcendentes, & tranſverſales, vel extraneos; Sed agitur de fratre cælibi teſtante ad favorem fratrum habentium uxorem, ac etiam in aliqua parte ad favorem eorum filiorum, & deſcendentium, cùm fratres cælibes diſponentes cum fratribus eorumque deſcendentibus, jure parentum in propoſito cenſendi videantur, ideoque fratrum familia potius effectiva, quàm contentiva quoad eos reputatur, dum experientia docet, quod major eſt amor patruorum cælibum, quàm ſit ipſorummet parentum, ut ponderatur ſupra in Romàna primogenituræ de Bubalo *diſc.* 25. & in aliis ibi proximis occaſione agendi de diſtinctione inter familiam effectivam, & contentivam; Et in ſpecie iſtam conſiderationem facit Bardellon. relatus per Fuſar. *dicta q.* 397. *n.* 8. qui licèt nulla adducta authoritate, vel ratione credat hanc opinionem periculoſam, attamen vìdetur probabilis, ubi potiſſimè non eſt ſola, ſed alia concurrunt.

Prout quamvis regulariter prohibita ſit extenſio fideicommiſſi de caſu ad caſum, vel de perſona ad perſonam, adhuc tamen receptum eſt, hanc regulam ex rationis identitate aliiſque conjecturis limitari, quando caſus, vel perſona ad quam fiat extenſio poteſt ſub diſpoſitione aliquo modo comprehendi, ſeu contineri, itaut non dicatur caſus cer- 9
titudinaliter novus, ac omiſſus, ut latè cæteris antiquioribus relatis Maſcard. *de probat. concluſ.* 1136. *nu.* 10. Mantic. *de conict. lib.* 3. *tit.* 19. *nu.* 8. *circa finem, verſ. ſecundo eſt advertendum*, Fuſar. *qu.* 458. *num.* 20. *&* 21. *& cæteri*, ac non negat Surd. *d. conſ.* 129.

Idemque de alia regula prohibitiva ſuppletionis, quoniam cùm voluntati magis, quàm verbis, ut ſupra inſervire debeamus, atque ſæpius contingat teſtatores mortis cogitatione turbatos, aut morbi vi oppreſſos, minus dicere, vel ſcri- 10
bere, quàm velint, idcircò intrat quoque legis ſuppletio, vel ſubintellectus, qui magis intentionem, quàm extenſionem importat, ad text. *in l. Lucius, ff. de liber. & poſth. l. mulier, ff. ad Trebell.* cum concord. plenè collectis per Mantic. *dicto lib.* 3. *tit.* 19. *n.* 8. 15. *&* 16. Maſchard. *de probat. dicta concluſ.* 1136. *n.* 8. *cum ſeqq. & n.* 16. *cum ſeqq.* Fuſar. *d. q.* 284. *n.* 4. *qu.* 458. *n.* 22. *& ſeqq. & qu.* 460. *n.* 28. *& ſeqq.* omniumque melius, & clarius probant eadem jura *in l. cum avus, & in l. cum acutiſſimi*; Ideoque totum potius videtur facti, quàm juris, omninò certam, ac determinatam regulam non habens, niſi quoties in caſu merè obſcuræ, & am-

11 biguæ voluntatis cum ſolis regulis, ac propoſitionibus generalibus procedere oporteat, ſecus autem ubi ſpecialia magis urgent, quę ſemper hujuſmodi generalitatibus prævalere debent.

His ita conſtitutis; Quatenus pertinet ad applicationem, ponderatis inſimul omnibus facti circomſtantiis, nimis clara videbatur hujus teſtatoris voluntas ſuper perpetua conſervatione bonorum in ejus familia, & agnatione vera, ex
12 fratribus, eorumque filiis, & deſcendentibus conſtituenda, eaque defecta renovanda per nepotes ex ſorore ita ſubſidiariè vocatos, cùm ipſa natura doceat, non recurrendi ad artem, niſi ceſſante natura, neque ad fictionem, niſi ceſſante veritate; Hæc autem voluntas non ſolùm (licèt malè explicata) deduci videbatur ex ipſomet teſtamento, ſed etiam clarè comprobata remanebat; Primò ex dicto alio teſtamento per ipſummet teſtatorem propria manu in ſtatu valetudinis ſtudiosè, & accuratè ordinato, in quo hujuſmodi ordinem clarè præſcripſit; Licèt enim iſta ſcriptura tanquam
13 ſimplex præparatoria omninò imperfecta eſſet, neque attendenda veniret tanquam teſtamentum; Attamen ſatis attendenda veniebat pro adminiculo, ſeu pro interpretatione, ut de teſtamento informi Cephal. *conſ.* 411. *num.* 23. Marta *de ſucceſſ. part.* 4. *q.* 1. *art.* 7. *num.* 9.

Et ſecundò, fortius ob confeſſionem ejuſdem Hieronymi, qui teſtamentum de ordine teſtatoris ſcripſerat, & compoſuerat, dum in facto juſtificabatur ipſum pluries dixiſſe, quod ipſius fratres, eorumque filii, ac deſcendentes ad hanc ſucceſſionem aſpirare non poſſent, niſi omninò defecta linea maſculina prius vocata. Scriptori enim teſtamen-
14 ti, cui teſtator ſuam voluntatem communicavit, nimium deferendum eſſe advertitur cæteris relatis per Mantic. *de conjectur. lib.* 3. *tit.* 1. *nu.* 13. Rovit. *ſuper pragm. ſecunda de Notariis*, *nu.* 20. Capyc. Latr. *conſul.* 143. *n.* 39. *& num.* 48. *cum ſeqq.* Rota in dicta Romana annuæ præſtationis coram Bevilaqua *dec.* 102. poſt Zuff. *de legitim. proceſſ.* & in aliis; Attenta potiſſimè veriſimilitudine dictæ confeſſionis, utpotè contra proprium intereſſe ejus perſonæ, ac fratrum, & domus.

Quodque dictum teſtamentum eſſet in pluribus mancum, ideoque ſuppletione indigeret, plures faciebam pon-
15 derationes; Primò ſcilicet, quod cùm benè in facto conſtaret, quod teſtator æquè diligebat Aquilium, ac Cinthium, quinimò magis primum, quàm ſecundum, non videbatur ſubeſſe ratio, cur vocare voluiſſet filios Cinthii, & non illos Aquilii, æquè ac magis dilecti, ad quos non cogitaſſe, referri poterat ad præſuppoſitum ſterilitatis uxoris, quam tunc habebat; Et ſecundò, quia Cinthio ſubſtituit ſolum unicum filium, quem tunc habebat, omiſit autem alios quos in futurum procreare poterat contra omnem veriſimilitudinem; Potiſſimè verò attento modo, cum quo hujuſmodi voluntas per moribundum gravi, ac violento morbo oppreſſum communicata fuerat, Unde propterea omiſſio magis referri poterat ſcriptori, quod non benè percepiſſet, ac explicaſſet, quàm ipſi teſtatori; Ideoque ſi propoſitio, quod *minus ſcriptum*, *quàm dictum*, ſeu *minus dictum*, *quàm volitum*, admittitur etiam ubi ageretur de teſtamento ſcripto, vel dictato ab eodem teſtatore, multò magis, ubi ab alio, abſque eo quod teſtator illud extenſum audierit, & in dictis anguſtiis,

Ponderando etiam, ac potiſſimè, quòd non agebatur de inducendo extenſionem, vel ſuppletionem, ad effectum pro-
16 rogationis illius fideicommiſſi, quod aliàs expiraret, & ſic de impediendo bonorum libertatem aliàs reſultantem, quo caſu verè, ac propriè ob libertatis favorem, ac ſervitutis odium magis ſtrictè procedunt dictæ regulæ, ſuppletionem vel extenſionem negantes, atque in his terminis loquuntur ferè omnes de hujuſmodi regulis agentes, dum fideicommiſſi ſervitute, vel onere adhuc duraturo, agebatur de ſola pertinentia, ſeu prælatione ad favorem perſonæ prædilectæ in excluſionem minùs dilectæ, juxta diſtinctionem *in diſc. proximè præced.* inſinuatam in propoſito tranſmiſſionis cum ſimilibus; Et ex his pro meo ſenſu credebam, juſtitiam huic parti aſſiſtere contra actorem, pro cujus excluſione ſi fuiſſem judex, reſpondiſſem; Adhuc tamen timebam, atque conſului concordiam, ex eo quod hodie iſti diſcurſus reputantur ingenioſa ratiocinia Advocatorum, atque neſcimus recedere à regulunculis, & doctrinellis, iſtas ut vulgò dicitur judaico more attendendo in ſola litera.

SENOGALLIEN. FIDEICOMMISSI DE VERZILLIS

PRO

PANTHASILEA VERZILLA

CUM

FRANCISCA MENCHETTA.

Caſus diſputatus in Rota, & ſopitus per concordiam.

De extenſione fideicommiſſi ad caſum omiſſum, ad materiam textus *in l. placet*, *ff. de liber. & poſthum.* An ſcilicet inſtitutio, vel reſpectivè ſubſtitutio facta de poſthumo, ſeu ventre prægnante uxoris, conveniat filiis poſtmodum ex eadem, vel diverſa uxore procreatis.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Ad text.* in l. placet de liber. & poſth. *& an inſtituto poſthumo, inſtitutio conveniat procreato ex eadem, vel alia uxore ex alia prægnantia.*
3 *Datur diſtinctio, an certa uxor demonſtrata ſit, juxta text.* in §. ſi quis ex certa.
4 *Examinatur ratiocinando veritas dictæ diſtinctionis, & quando locum habere debeat.*
5 *Tota quæſtio eſt voluntatis, non poteſtatis, & diſtinctio ſervit ad videndum, cui aſſiſtat juris præſumptio contrariis præſumptionibus elidibilis.*
6 *Hodie ſublatæ ſunt antiquæ verborum formulæ, atque inſtitutio filiorum per quæcumque verba fieri poteſt.*
7 *Examinantur præſumptiones, & conjecturæ, ex quibus certa uxor potius demonſtrativè, quàm taxativè ſtare dicatur.*
8 *Expenditur ratio, in qua fundatur text.* in §. ſi quis ex certa.
9 *De modis, quibus antiquitus poſthumorum præteritio fiebat.*
10 *Paria ſunt non naſci, vel in pupillari ætate deficere.*

DISC. CXVI.

Tiberius Verzillus hæredem inſtituit Alexandrum filium, cui ſine filiis morienti ſubſtituit Panthaſileam 1
filiam, ejuſque filios, & ſequuta morte teſtatoris, Alexander de anno 1623. teſtamentum condidit, in quo hæredem inſtituit ventrem prægnantem Cleriæ uxoris, ſi gravida eſſet, ſin minus prædictam Panthaſileam ſororem, ſed cùm ex ea infirmitate, quæ tali teſtamento occaſionem dedit, convaluiſſet cum diuturna ſupervivencia, dictaque Cleria prima uxore nulla ſuſcepta prole defuncta, ſecundam duxiſſet uxorem, ex qua filiam ſuſcepit Joannam Felicem nuncupatam, atque de anno 1662 gravi infirmitate preſſus, aliud præparaſſet teſtamentum, in quo ad limites primi, atque ſe conformem reddendo paternæ voluntati dictam ejus filiam infantem, ac ventrem prægnantem hujus uxoris inſtituebat, eiſque in pupillari ætate morientibus ſubſtituebant eandem Panthaſileam ſororem ejuſque filios, morte tamen præventus dictum ſecundum teſtamentum perficere non potuerit, nulluſque natus eſſet poſthumus, qui naſciturus credebatur, a que dicta Joanna Felix in pupillari ætate objerit; hinc orta eſt controverſia ſuper hujuſmodi hæreditate inter Panthaſileam jure ſubſtitutionis in primo teſtamento contentę venientem, & Franciſcam ſecundam uxorem tanquam hæredem ab inteſtato dictæ pupillæ; & introducta cauſa coram A. C. ac deinde ab iſto occaſione cujuſdam decreti interlocutorii in Rota coram Bourlemont, aſſumpta fuit inter partes diſputatio ſuper ſolo poſſeſſorio retinendæ, an ſcilicet, & cui dandum eſſet mandatum de manutenendo, in qua diſputatione nonnulla deducta fuerunt, præſertim circa *dec.* 4. Achill. *de cauſa poſſeſſ. & propriet.* ſuper mutatione cauſæ poſſidendi, de quo puncto in hac eadem cauſa habetur actum *ſub tit. de judic.* ad materiam interdicti poſſeſſorii; ſed quia, ut mos eſt, quælibet partium ad ejus poſſeſſionem magis juſtificandam deducere conata fuit ejus bonum jus in negotio principali, idcirco Rota, juxta ſtylum moderno tempore frequentem, nulla capta reſolutione in poſſeſſorio, mandavit videri de bono jure, etiam ad effectum manutentionis.

Aſſum-

Aſſumpta igitur hac diſputatione, illa reſtringebatur ad
2 punctum, an eſſemus in caſu text. *in l. placet*, *cum l. ſeqq. ff. de liber. & poſthum.* in quibus diſponitur, ut inſtituto poſthumo, ſeu ventre prægnante uxoris, ex benigna juris interpretatione, ad ſubſtinendum teſtamentum, illudque à pręteritionis vitio ſalvandum, intelligatur concepta inſtitutio de quocumque alio poſthumo ex eadem, vel diverſa uxore procreato, vel potius in caſu alterius text. *in l. filius*, *§. ſi quis*
3 *ex certa*, *ff. eodem. tit.* ubi diſponitur, quod ſi quis ex certa uxore natum ſcribit hæredem, in periculum rumpendi teſtamentum deducit, ex alia ſuſceptis liberis.

Eſſe autem in caſu hujus ſecundi text. dicebant informantes pro altera parte juxta facti ſeriem ſupra narratam, nam ad certam uxorem appellativo Cleriæ nomine enunciatam conſtabat teſtatorem ſe reſtrinxiſſe, ideòque tali caſu juxta hujus textus diſpoſitionem, poſthumus ex alia uxore ſuſceptus cenſendus non erat inſtitutus, ſed quod per iſtius nativitatem teſtamentum ruptum remaneret, ut firmant ibidem, & in eadem *l. placet*, Bart. Jaſ. & cæteri, de quibus Menoch. *lib.* 4. *præſumpt.* 21. *n.* 9. *&* 10. Mantic. *de conjectur. lib.* 4. *tit.* 10. *nu.* 2. Altograd. *conſil.* 52. *n.* 22. *lib.* 1. Ciarlin. *controv.* 3. *n.* 16. *&* 163. *n.* 4. *cum ſeqq.* Surd. *conſ.* 55. & admittit Berous *conſ.* 17. *lib.* 2. ubi latè ſubſtinet teſtamenti validitatem non obſtante poſthumi ſuſceptione ex ſecunda uxore, juxta terminos tamen text. *in d. l. placet*; ac etiam Morottius *conſ.* 32. qui meo judicio omnium latiùs, ac meliùs examinat materiam text. *in d. l. placet*, ejuſque terminis retentis, præſertim circa plures quæſtiones ex meo ſenſu inanes ſuper verborum formulis, an ſcilicet eſſent in ſubjunctivo, & per verba *de futuro*, vel per verba *de præſenti*; & an teſtator ſciret, vel ignoraret prægnantiam, & an crederet ſe ex illa infirmitate moriturum, cum aliis apud Morott. Menoch. & alios *loc. cit.* verùm adhuc procedit cum eadem diſtinctione, ac ſupponit, quod ubi de certa uxore ſentiit, non intret iſte text. ſed alter jam dictus *in l. filius*, *§. ſi quis ex certa*.

Atque ex hoc, non ſolùm ſcribentes pro altera parte, ſed etiam noſtri credebant eſſe in caſu claro invaliditatis teſtamenti, qualem etiam ſenſum habuit major pars Dominorum de Rota in propoſitione habita ſub die 4. Decembris 1664. licèt nulla capta eſſet reſolutio ob aliquorum votorum diſcrepantiam, ac præſertim ex eo, quod per aliquos motivatum fuerit, ut videretur, an ſaltim hoc teſtamentum ſubſtineri poſſet ex diſpoſitione text. *in auth. ex cauſa*, *C. de liber. præter.* quod tamen incongruum motivum credidi, cùm potiùs melius eſſet alterum clauſulæ codicillaris, ad quam in omnem eventum recurrendum eſſe cogitabam, ſed non fuit opus, quia in hoc ſtatu partes devenerunt ad concordiam, quæ controverſiæ finem dedit.

4 Procedendo juxta moderni ſæculi, neſcio an laudabilem, vel damnabilem uſum, diſcurrendi more ſimplicium pragmaticorum cum ſolis doctrinis, & quia ſic dicant Joannes, & Martinus, non expenſis eorum dicti rationibus, ac fundamentis, fatebar etiam ego videri opus penè deſperatum ſubſtinere, quod in dicto teſtamento inſtitutus intelligeretur etiam poſthumus ex alia uxore ſuſceptus, dum inſtitutio ad poſthumum ex certa uxore appellativo nomine explicata legebatur reſtricta, juxta dictas authoritates, cum text. *in d. §. ſi quis ex certa*, ſimpliciter procedentes; verùm attentis juris rationibus, ac principiis, pro teſtamenti validitate, ex facti præſertim circumſtantiis, probabiliùs reſpondendum eſſe dicebam, etiam cum ſenſu veritatis.

5 Differentia etenim inter caſum text. *in leg. placet cum ſeqq.* & alterum *in d. §. ſi quis ex certa*, conſiſtere ſolùm videtur in regulanda juris præſumptione, juxta quam in dubio eſſe cenſeatur teſtatoris voluntas, cujus tantùm, non autem poteſtatis quæſtionem eſſe liquet ex omnibus allegatis, ac aliis materiam tractantibus cum pluribus diſtinctionibus contendentibus ſuper indaganda teſtatoris voluntate, an de certo ventre, ſeu poſthumo taxativè intelligere voluerit, vel potiùs in eo omnes alios ſibi futuros demonſtrare, ut ſcilicet non ſpecificata certa uxore, præſumptio ſtet pro demonſtrativa, illa verò ſpecificata ſtet pro taxativa, juxta unius, vel alterius reſpectivè textus diſpoſitionem.

Semper tamen iſta erit præſumptio juris tantùm, contrariæ probationi, vel urgentioribus præſumptionibus locum cedere debens, ut liquet præſertim ex Menoch. *conſ.* 40. *n.* 36. *& d. præſumpt.* 21. *n.* 4. 9. *&* 10. ac etiam ex Altograd. diverſam tamen quæſtionem tractante *d. conſ.* 52. *nu.* 31. 72. *& per tot.* & clariùs attento jure noviſſimo Codicis, per quod temperato antiqui juris Digeſtorum rigore, non urget amplius ille defectus poteſtatis, ſeu illa rigoroſa verborum formula in poſthumis hæredibus inſtituendis requiſita, pręſertim *in l. commodiſſimè*, *ff. de liber. & poſth.* ſed ſufficit, ut quocumque modo de voluntate inſtituendi conſtet, ad text. *in l. fin. Cod. de poſthum. hæred. inſtit. & l. quoniam indignum*, *Cod. de teſtam.* ut benè obſervat Morott. *d. conſ.* 32. unde ſolam implicitam, vel præſuppoſitivam filiorum inſtitutionem ſufficere ad ſalvandum teſtamentum à vitio præteritionis, ſæpiùs firmavit Rota præſertim apud Cavaler. *deciſ.* 388. in Leodien. dominii prima Julii 1650. corram Cerro *deciſ.* 79. *part.* 11. *rec. & in aliis*.

Præſumptionem autem in hac facti ſpecie militare potius 6
pro demonſtrativa, quàm taxativa, deducebam; primò ex generali præſumptione, ſeu veriſimilitudine, de qua infrà, ut ſcilicet quemadmodum poſthumum ex illa uxore ſuſcipiendum inſtituere voluit, ita & quoſcumque alios filios ex quacumque legitima uxore ſuſcipiendos ob ceſſantem illam diverſitatis rationem antiquitùs militantem, ut infrà.

Secundò ex teſtatoris qualitate, cùm eſſet miles, ac idio- 7
ta, legalium ſubtilitatum ignarus, dum iſta vix peritis Juriſtis innoteſcunt, ut advertit Morott. *d. conſ.* 32. *n.* 6. ideòque attendendum eſt, quid idem teſtator ſi reſurgeret, interrogatus veriſimiliter reſponderet; & tertiò clariùs omnem dirimi quæſtionem obſervabam ex ejuſdem teſtatoris declarata voluntate inſtituendi quemcumq; filium ex alia uxore procreatum, deducta ex altero teſtamento in ultima infirmitate præparato; nil obſtante, quod illud remanſiſſet imperfectum, ac in terminis nudæ præparationis, cùm etiam teſtamenta imperfecta, & invalida, ſeu revocata ſufficiant, ac attendi debeant pro teſtatoris voluntate declaranda, *ut deciſ.* 600. *num.* 11. *part.* 5. *rec. cum aliis diſc. præcedent.* & confert receptiſſima diſtinctio, de qua eodem *diſc. præcedenti*, an ſcilicet agatur de probando voluntatem omninò novam, vel potius de ejuſdem declaratione, ſeu interpretatione, ut primo caſu requirantur tot teſtes, vel ſolemnitates, quæ de jure exiguntur ad teſtamentum, vel ultimam voluntatem; in ſecundo autem ſufficiant duo teſtes etiam ſingulares, vel adminicula, & conjecturæ; ideòque ex hoc ultimo teſtamento tanquam probante continuatam, ac perſeverantem voluntatem, clarè probari obſervabam in animo teſtatoris ab initio fuiſſe omnes ejus filios quos haberet, inſtituendi, eis autem ſubſtituendi ſororem, ejuſque filios, ut ita paternæ voluntati ſe conformem redderet, atque excluderet filiorum hæredes extraneos, quos ita abhorruiſſe liquet; atque hanc ſubſtantiam voluntatis non curata formalitate verborum potius attendendam eſſe mihi probabilius videbatur.

Quatenùs verò pertinet ad præſumptionem, ſeu veriſi- 8
militudinem generalem deductam per Bart. Bald. Angel. & alios *in d. l. fin.* per illum text. *Cod. de poſthum. hæred. inſtit.* & de qua Berous *dict. conſ.* 17. *n.* 14. 15. *&* 26. *lib.* 2. Morott. *dict. conſil.* 32. *n.* 18. Altograd. *dict. conſil.* 52. *n.* 29. *&* 30. & ne objici poſſet ex hac ratione fatuum remanere textum *in d. §. ſi quis ex certa*, quaſi quod ita non haberet rationem, vel operationem; obſervabam illum rectè procedere, attento tempore quo prodiit, ob rationem diverſæ voluntatis tunc militantem, nunc verò ceſſantem, itaut meo judicio textus prædictus antiquatus potius cenſendus videatur, niſi alia particularia accedant inditia illius taxativæ, ac præciſæ voluntatis, cujus præſumptionem idem textus inducit.

Duobus etenim modis antiquitus poſthumorum præte- 9
ritio per teſtatores ſcientes, ac volentes fieri ſolebat; uno ſcilicet favorabili, altero verò odioſo, ſeu ut alii dicunt, unus bona, alter mala mente; favorabilis, ſeu bona mente erat illa, per quam poſthumus exhæredabatur, ut eis parentes magis conſulerent, inſtituendo alium hæredem fiduciarum, quem poſt certam ætatem gravabant ad reſtituendam poſthumo, ut ita ſalubrico tutelæ fideicommiſſum præferrent, utpotè per meliorem, ac tutiorem adminiſtrationis modum; odioſa verò, ac mala mente erat, per quam poſthumus prætericbatur, non ex odio, vel demerito proprio, quod erga non natum dari non poteſt, ſed ex odio, ſeu diffidentia uxoris, ex qua ille primogenitus eſſe deberet, ut ſcilicet ita mulieres verentes, ne ex illarum odio, aut diffidentia, earum viri ventrem prægnantem abhorrerent, ac exhęredarent, tantò majore ſtudio pudicitiam ſervare curarent; & qua ratione attenta, probabiliter dicendum veniebat, teſtatorem ſe reſtringentem ad certæ uxoris prægnantiam, de alia uxore ſentire noluiſſe, ſed taxativè ad illam ſe reſtrinxiſſe, quia illius jam cognitæ fiduciam circa pudicitiam habere voluit, quam noluit habere de ignota, cujus mores adhuc non erat expertus, ut hæc benè obſervat Faber *in rational. ad quintam partem pandectarum*, *lib.* 28. *ſuper d. l. placet*.

Cùm autem iſta exhæredationis ſpecies hodie per jus Co-

dicis

dicis ſublata ſit, per text. *in l. ſi quis in ſuo teſtamento, §. legis autem, Cod. de inoffic. teſtam.* ac etiam prima, ſequitur exinde non militare illam rationem, ex qua tunc militante, rationabiliter *in d. §. ſi quis ex certa*, ita diſponitur; hinc proinde quando teſtator, præſertim infirmus, de poſthumo, ſeu ventre prægnante certæ uxoris teſtando agit, ideò id gerere videtur, quia putans ſe ex illa infirmitate moriturum, non cogitat de nova prole ex alia uxore ſuſcipienda, non autem, quod animum habeat illum poſthumum taxativè, ac præciſè inſtituendi, negativè ad alios, quos ignotos veriſimile nullatenus eſt voluiſſe præterire, intrat de plano diſpoſitio quoad omnes.

Poſita verò validitate teſtamenti, reſultabat ſubſtitutio pupillaris, cùm paria ſint non naſci, vel in pupillari ætate deficere, ad text. *in l. 2. §. fin. & l. jam hoc jure, ff. de vulg. & pupill. l. quamvis, Cod. de impuber.* & advertitur alibi *hoc eod. tit.* cùm ſit principium in jure planum.

ANNOT. AD DISC. CXVI.

CONferunt ad præſentem diſcurſum deducta *ſub tit. de Legat. diſc. 17. & ſeqq.* & occaſione agendi de puncto, an legatum factum omnibus filiis, conveniat etiam illis, qui ſuſcepti fuerint ex ſecunda uxore.

SENEN. PRIMOGENITURÆ DE SPENNAZZIS.

Reſponſum pro veritate, incertum eſt ex qua parte.

Vocato primogenito alicujus, an primogenitura extendatur ad ſecundò, & tertiò alioſque ulteriores genitos ejuſdem, vel potius reſtringatur ad primogenitum, in quo diſpoſitio effectum ſortita ſit, ejuſque lineam.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*
2 *Quando poſt unam lineam, vel genus defectum, vocatur aliud genus cum diverſo gradu, tunc fideicommiſſum non expirat in prima linea admiſſa.*
3 *Sub nomine lineæ, & deſcendentium veniunt omnes, qui deſcendunt ab eodem ſtipite.*
4 *Inanis labor adhibitus circa materiam reciprocæ linearis.*
5 *Quando dicatur unica linea, vel plures remiſſivè.*
6 *Quando cadat quæſtio terminationis primogenituræ in uno genere remiſſivè.*
7 *Quando alii vocati poſt agnatos non ſunt agnati, non cadit quæſtio, de qua num. præced.*
8 *Ad metiendam voluntatem teſtatoris attendendum eſt tempus teſtamenti, ac ille rerum ſtatus, non quid poſtea contigerit.*
9 *De alio conſimili caſu remiſſivè.*

DISC. CXVII.

1 HIeronymus de Spennazzis, inſtituto hærede Paulo fratre habente quinque filios maſculos, in quibuſdam prædiis particulare fideicommiſſum perpetuum in univerſa dicti Pauli, ejuſque filiorum linea maſculina inſtituit cum ordine primogenituræ, tam inter deſcendentes cujuslibet lineæ in progreſſu, quàm in tranſitu de una linea ad alteram; omnibus verò prædictis defectis, vocavit Cæſarem agnatum remotiorem, ejuſque deſcendentes ex linea maſculina cum eodem primogenituræ ordine, ac ſemper de primogenito in primogenitum; dictaque linea etiam finita, vocavit proximiorem cognatum ultimi deficientis ex dicta linea Pauli fratris cum onere aſſumendi cognomen, & inſignia pro renovatione familiæ, in qua enixè iſta bona perpetuò conſervari voluit; in Codicillis verò, ademto hoc ultimo ſubſtitutionis gradu, illum commutavit ad favorem proximioris de quadam alia familia; cùmque extincta dicta linea Pauli, primogenitura effectum ſortita eſſet in primogenito Cæſaris, iſtius etiam lineæ maſculinæ extinctione in ultimo prole deſtituto imminente, pro veritate conſultus fui (incertum tamen eſt ex qua parte,) an dicta primogenitura expiraret, itaut bona efficerentur libera, vel potiùs tranſitum facere deberent cum eodem ordine primogenituræ ad alias lineas maſculinas filiorum ſecundò & tertiò genitorum eiuſdem Cæſaris.

Admirationem mihi intulit, quod ſuper hujuſmodi caſu ab Advocato Romanæ Curiæ conſilium peteretur, cùm id ex extra eandem Curiam, ac Statum Eccleſiaſticum, frequentiùs contingere non ſoleat, niſi in caſibus valdè ambiguis, iſte verò videretur nimiùm planus pro dicti fideicommiſſi, ſeu primogenituræ duratione, ſtante ulteriori ſubſtitutionis gradu in teſtamento poſt hanc Cæſaris lineam finitam, ordinato ut ſupra ad favorem proximioris cognati ultimò deficientis de prima linea Pauli, poſtmodum commutato in codicillis cum vocatione cujuſdam alterius generis.

Ita enim liquet, quod ſive iſte ſecundus ſubſtitutionis gradus terminaret in linea ſolius primogeniti ad fideicommiſſum admiſſi, ſive ulteriorem progreſſum haberet in univerſa Cæſaris linea, neutro caſu fideicommiſſum terminat, ſed ulteriorem habet tranſitum ad alium ſubſtitutionis gradum, aliudque perſonarum genus, ideòque nunquam de libertate penès hujus generis perſonas agi poſſe mihi videbatur, niſi quatenùs dictum aliud genus jam defeciſſet, itaut 2 iſte ulterior ſubſtitutionis gradus eſſet caducatus; Et conſequenter planum credidi prætendi non poſſe expirationem, ſed abſolutam remanere durationem fideicommiſſi in univerſa linea ipſius Cæſaris, qui deſtinatus fuit unicus ſtipes hujus diſpoſitionis, dum vocatio reſtricta non erat ad ejus 3 primogenitum ſimpliciter, ſed erant vocati omnes deſcendentes maſculi de ejus linea; Atque ſub utriuſque vocabuli ſignificatione abſolutum eſt venire omnes, qui ex omnibus ejus filiis deſcenderent ſub dicto utroque nomine venientes, ex latè congeſtis per Fuſar. *q. 327. & 345. & paſſim*, ita omnibus unicam lineam conſtituentibus, præſcripto ſolùm inter eos tanquam ejuſdem lineæ, ſeu arboris ramos, modo ſuccedendi juxta ordinem primogenituræ; Ideòque 4 prorſus inanes, ac extra propoſitum dicebam magnos labores, qui impenſi fuerant in quibuſdam tranſmiſſis notulis cum conſuetis noſtris leguleicis æquivocis in tractando multas quæſtiones ferè totam materiam reciprocæ linearis concernentes ſuper tribus vulgaribus requiſitis, cum copioſiſſimis allegationibus, ut præmiſſum eſt extra propoſitum, atque cum inani repletione chartarum, dum juxta diſtinctionem in propoſito reciprocæ linearis pluries in præcedentibus traditam, ſtante quod prima diſpoſitio ad unum tantùm directa eſt, cujus deſcendentes vocentur, tunc unica dicitur linea, omneſque licèt inter plures ramos, ſeu colonnel- 5 los diviſi, de una, & eadem eſſe dicuntur, unum & idem corpus, ſeu genus conſtituentes, cùm quæſtio reciprocæ linearis, ac tranſitus de linea ad lineam cadat, ubi plures lineæ ab initio conſtitutæ ſunt, juxta ſatis vulgarem, ac receptam diſtinctionem derivantem ex text. *in cap. 1. de eo, qui ſibi & hæred. ſuis in uſib. feudorum*, ut pluries in præcedentibus ad hanc materiam, & ſic non agnoſcebam, ubi caderet ratio dubitandi.

Quam credebam in petentibus conſilium fortè excitatam 6 fuiſſe ex iis, quæ relatis Molin. & cæteris diſputata habentur apud Peregr. *conſ. 64. lib. 2. & conſil. 38. lib. 5.* Menoch. *conſ. 220.* Dec. *conſ. 16. lib. 4.* ac alios relatos per Fuſar. *q. 389. & 390.* ubi ſcilicet defecta linea primogeniti de genere priùs vocato, contentio ſit cum altero, qui ſit primogenitus in diverſa linea, ſeu diverſo genere poſtmodum vocato in diverſo ſubſtitutionis gradu, contra fratres ſecundò, vel ultrò genitos ejus, in quo primogenitura effectum ſortita eſt, & poſteà defecit.

Hæc autem dubitatio in præſenti cadere non poterat, cùm illi, qui in ulteriori ſubſtitutionis gradu fuerant ſubſidiariè 7 vocati, eſſent cognati, vel extranei, familiam fictè renovaturi, & conſequenter perneceſſe expectare; debentes terminationem totius agnationis veræ, ut ita defecta natura, ſeu veritate, intraret ars, vel fictio, cùm apud Menoch. Decian. & Peregrin. *ubi ſup.* ac alios, ratio dubitandi caderet eo quia omnes erant de eadem agnatione, ac reſpectivè de eodem genere; Ideòque quicquid eſſet de veritate quæſtionum, quas proximè allegati more Conſulentium invicem pugnantium diſputant in ſuis caſibus, inhærendo commendabili Curiæ ſtylo non evagandi in ſuperfluis, neque inaniter chartas replendi, reſpondi opus non eſſe id aſſumere, utpotè extra caſum; Illud obſervando, quod etiamſi alterum genus ſubſidiariè vocatum defectum eſſet, unde propterea ultimus ſubſtitutionis gradus eſſet caducatus, ut in notulis tranſ- 8 miſſis ſupponi videbatur; adhuc tamen dicta ulterior ſubſtitutio præſentem caſum in claris ponebat pro interpretatione voluntatis, quod ſcilicet teſtator ponendo in conditione univerſam lineam maſculinam Cæſaris ad effectum tranſitus ad dictum aliud perſonarum genus ſubſidiariè vocatum, ita per neceſſarium antecedens omnes de dicta linea vocaſſe cenſetur, ut ab ultima fieret tranſitus bonorum ad aliud genus diverſum, cùm ad metiendam diſponentis voluntatem attendendum non ſit tempus præſens, in quo ſucceſſionis quæſtio aperiatur, & quid interim caſus prębuerit, ſed attendendus ſit ſtatus rerum de tempore teſtamenti, & quid teſtator cogitaverit, ſeu voluerit, præſupponendo ſuperexiſtentiam dicti alterius generis ſubſidiariè vocati.

Huic proxima videbatur altera quæſtio, de qua ſupra in Faventina primogenituræ *diſc. 39.* in cujus caſu contra ſecundogenitum reſpondendum cenſui, eo quia ejus vocatio erat per meram vulgarem jam defectam; ut ibi.

ANNOT. AD DISC. CXVII.

DE hac eadem materia actum eſt *in hoc eod. tit. diſc. 206.* Et de eadem materia ordinis tenendi in primogenituris. Vide concordantia *in annot. ad diſc. 1.*

ROMANA CENSUS, SEU FIDEICOMMISSI *PRO* MARCHIONE FRANCISCO URSINO, *CUM* MATTHÆIS, ET ALIIS.

Caſus deciſus per Rotam pro Franciſco.

De fideicommiſſo reſultante à verbis enunciativis, ſeu præſuppoſitivis, habentibus tamen relationem ad aliam diſpoſitionem faciendam, an illa non ſequuta remaneat diſpoſitio perfecta, necne, vel potius tanquam remanens in terminis velleitatis evaneſcat.

SUMMARIUM.

1 *Facti ſeries.*
2 *De reſolutione cauſæ.*
3 *Quod prima deciſio non percutiat punctum controverſiæ.*
4 *Traditur theorica, ſeu diſtinctio, quando reſervatio futuræ diſpoſitionis percutiat ſubſtantiam, vel accidentia, & indicet voluntatem eſſe perfectam, vel imperfectam.*
5 *Quando referens probet, vel non probet ſine relato.*
6 *Quomodo applicetur theorica, de qua n. 4.*
7 *Favore deſcendentium etiam verba* enunciativa, *vel* præſuppoſitiva *ſunt operativa.*
8 De conſ. 636. Decii, *quando ratio inducat diſpoſitionem.*
9 *Declaratio non inducit novam diſpoſitionem, ſed illam præſupponit.*

DISC. CXVIII.

1 FAbius Urſinus inſtituto hærede Neapolione filio, in teſtamento per ipſum, quamvis nobilem, ſed parum literatum, materna lingua, rudique ſtylo ordinato, explicata voluntate, quod intendebat ejus bona conſervari in ipſius Neapolionis filiis, & ſucceſſoribus, idcircò ſibi reſervavit facere declarationem in codicillis, vel alia diſpoſitione per ipſum facienda, quomodo regulari deberet circa ſubſtitutionem, & fideicommiſſum ipſum teſtamentum, tali verò declaratione non facta, adhuc voluit teſtamentum prędictum in omnibus, ac per omnia ſervari; deindeque condidit codicillos, in quibus aliqua diſpoſuit ad rem non facientia, mandando in reliquis teſtamentum ſervari, nulla dicti fideicommiſſi facta mentione; ex Neapolione autem fuit ſuperſtes Marchio Franciſcus, qui pulſatus à creditoribus patris, ut ab iſtorum moleſtiis ſe liberaret, ſeu veriùs volens ipſe moleſtare illos de Matthæis pro quodam cenſu ex dotibus maternis cum eis creato, ac malè cum dicto Neapolione extincto, ut inſinuatur *ſub tit. de cenſibus, diſc. 23. in fine*, idcircò tanquam hæres beneficiatus voluit reddere rationes de bonis hæreditariis, ut ita ſibi qualitas hæreditaria patris non obſtaret, exortiſque in dicta rationum redditione cum creditoribus, ac dictis aliis intereſſatis pluribus controverſiis, illa præſertim, an eidem Franciſco liceret ab aſſe hæreditario dicti Neapolionis detrahere ex perſona propria jure fideicommiſſi bona dicti Favii avi; Introducta cauſa in Rota coram Veroſpio, occaſione diſputandi dubium, *An conſtaret de ſufficienti redditione rationum*, in deciſione edita ſuper dicti dubii negativa reſolutione, ſub die 28. Aprilis 1634. potius incidenter dictum fuit nullum extare fidei-
2 commiſſum dicti Fabii, ex eo, quod in teſtamento illud non legeretur determinatè ordinatum, cùm ſolùm ibi explicaretur futura voluntas illud ordinandi in codicillis, quod cùm ſequutum non eſſet, hinc proinde id remanſit in terminis ſimplicis velleitatis non redactæ ad actum teſtandi, ac perfectam voluntatem, deducendo in id authoritatem Baldi *in l. quidam cum filium, tertio notabil. ff. de hæred. inſtit.* Oldrad. *conſil. 119. num. 1.* Seraph. *dec. 623. num. 3. & deciſ. 1353. nu. 11.* iſtaque deciſio habetur impreſſa *in part. 5. recent. tom. 2. deciſ. 535.*

Siluit deinde longo tempore cauſa, quam cupiens Franciſcus reaſſumere, conſilium pro veritate deſuper à me, ac aliis petiit, & quamvis eſſemus diſcordes, aliquibus opinantibus ex dicta ratione imperfectionis voluntatis, fideicommiſſum non adeſſe, me autem opinante oppoſitum; hinc inhærendo meæ opinioni, litem inſtauravit coram Bourlemont ſubrogato; coram quo dato dubio, an eſſet ſtandum, vel recedendum à deciſis ut ſupra coram Veroſpio, ſuper hoc puncto fideicommiſſi tantùm ſub die 9. Aprilis 1666. pro receſſu à deciſis, ac exiſtentia fideicommiſſi prodiit reſolutio, confirmata ſub die 23. Januarii 1668. Unde propterea firmato jam hoc puncto, convolatum fuit ad ejuſdem deciſionis reviſionem ſuper aliis punctis concernentibus ſufficientem redditionem rationum, ac etiam datum fuit aliud particulare dubium, an cenſus creatus cum dictis de Matthæis cum pecunia dotali matris ipſius Franciſci, fuiſſet benè extinctus cum dicto Neapolione ob ſpretam legem, ſeu formam in ejus impoſitione præſcriptam; Et propoſito utroque dubio coram Bourlemont ſub die 1. Aprilis 1669. quoad primum perſtitum fuit in deciſis ex fundamento inventarii malè confecti; Et quoad ſecundum reſponſum fuit malè cenſum extinctum fuiſſe, atque in hoc ſtatu cauſa pendet; De hoc autem ſecundo puncto cenſus habetur mentio in dicta ſua materia *ſub tit. de cenſib. d. diſc. 23. in fine*, & de altero validitatis inventarii, ac redditionis rationum, habetur particulariter actum in hac eadem cauſa in ſua materia *ſub tit. de hærede.*

Quatenus igitur pertinet ad dictum punctum fideicommiſſi, certum erat, quod de dicta prima deciſione edita de anno 1634. nulla in propoſito ratio haberi deberet, cùm revera de hoc puncto ibi ageretur ſolùm incidenter, nullatenùs examinato articulo per ſuos veros, ac proprios termi- 3 nos, ut comprobari obſervabam ex authoritatibus ibi deductis percutientibus terminos diverſos perfectionis, vel imperfectionis ipſius teſtamenti, an ſcilicet ſcriptura contineret voluntatem perfectam jam redactam ad actum, ſeu terminum teſtandi, vel potiùs ſimplicem præparationem futuræ voluntatis remanentis adhuc in via, non redactę ad terminum, ſive ad actum teſtandi, juxta diſtinctionem, de qua pluries habetur actum in ſua materia *ſub tit. de teſtamentis.*

Quare punctum ex integro aſſumendo, Ego prius in conſilio edito pro veritate, deindeq; ſcribens in Rota, dicebam, idemque admittebant ſcribentes pro altera parte, deducentes quoque eadem jura, eaſdemque authoritates, punctum eſſe potius facti, & applicationis, quàm juris, cujus theorica certa eſt, utpotè in jure clarè ac expreſsè determinata, cum diſtinctione, ſuper cujus applicatione tota cadit quęſtio, an ſcilicet in una, vel altera parte verſaremur, quod pendet à facti particularibus circumſtantiis.

Juris enim theorica, ſeu diſtinctio eſt, quod aut ſubſtantia fideicommiſſi, vel alterius oneris collata eſt in futuros codi- 4 cillos, ſeu aliam futuram diſpoſitionem, itaut teſtamentum in hac parte non contineat perfectam, ac determinatam voluntatem jam redactam ad terminum, ſeu actum teſtandi, ſed ſolum velleitatem, ſeu indicationem futuræ voluntatis, & tunc non ſequuto dicto ſecundo actu perficiente, inſtitutio remaneat pura, dictumque enunciatum onus habeatur pro non enunciato; Et hic eſt caſus textus *in l. cum pater, §. finali, ff. de legatis ſecundo*, à quo deſumptus eſt alter textus *in l. ſi teſtamentum, Cod. de inſtit. & ſubſtit.* in quorum caſu inſtitutio hæredis, ſeu legatum, aut altera diſpoſitio erat in ſtatu perfectionis, onus autem, vel alia conditio per teſtatorem adjicienda erat in ſtatu imperfectionis, ac recipere debebat perfectionem à futura diſpoſitione, in quam proinde hujus voluntatis ſubſtantia collata eſſet.

Ubi verò fideicommiſſi, vel alterius oneris diſpoſitio eſt perfecta quoad ſubſtantiam, itaut voluntas circa eam certa, & determinata dici valeat, reſervatio autem futuræ diſpoſitionis percutiat accidentia, ſuper modo ſcilicet, vel forma, cum qua tale onus explicandum eſt, & tunc licèt alia diſpoſitio non ſequatur, adhuc tamen onus remanet perfectum, ut benè diſtinguendo explicat idem text. *in d. l. cum pater, §. fin. ff. de leg. 2.* ubi teſtator ordinaverat fideicommiſſum ad favorem Civitatis de quibuſdam vicis, juxta fines, & modos in codicillis declarandos, & deciditur, quod licèt teſtator

ſtator nullam deinde declarationem fecerit, adhuc tamen fideicommiſſum remanet perfectum, quoniam reſervatio futuræ diſpoſitionis non eſt circa oneris ſubſtantiam, ſed circa modum exequendi; Qui textus clariùs declaratur per alium textum *in l. ſi teſtamentum, Cod. de inſtitut. & ſubſtit.* ac firmant Jaſ. Alex. Caſtr. Aretin. & cæteri *in ead. leg. ſi teſtamentum*, de quibus Facchin. *lib. 4. controv. cap. 4. verſ. ſecunda propoſitio*; Atque eſt vera diſtinctio, ſuper cujus comprobatione fruſtrà deſiderandæ ſunt authoritates, dum ſemper habemus jura literalia.

Et nihilominùs, ut ſatis fieret moderno uſui exiſtimanti magis aliquas doctrinas modernas, vel deciſiones, quàm textus expreſſos, ac literales penè obliteratos, atque in deſuetudinem abitos, dicebam, ultrà dictas authoritates, eamdem diſtinctionem formiter canonizatam fuiſſe per Rotam in Romana fideicommiſſi de Brenis 7. Februarii 1661. & 1. Februarii 1664. coram Cerro; Licèt enim dictæ deciſiones invicem pugnent, cùm una ſit alterius revocatoria, attamen concordant quoad ſubſtantiam, ſeu theoricam juris, ſolaque diverſitas eſt circa applicationem; Quodque aliud ſit ſubſtantia fideicommiſſi, ſeu legati, aliud verò ordo, ſeu modus in eo ſuccedendi, quodque ab uno ad alterum inferre non liceat, firmatur etiam per Rotam in Avenionen. fideicom. 26. Junii 1664. coram Emerix, & in aliis; In idem conferente altero principio, ſeu propoſitione, quod licèt referens nihil probet, vel firmet ſine relato, ex collectis per Barboſ. *axiom. 201. in fin. & paſſim*, attamen ſi referens habet ora-
5 tionem perfectam alia ſuppletione non indigentem, tunc non oportet expectare relatum, ex iis, quæ cæteris collectis, in his ſpecialibus terminis ultimarum voluntatum habentur apud Fuſar. *q. 498. num. 6.* & Caſtill. *lib. 4. controv. cap. 43. nu. 31. & 33.* & generaliter in quacumq; materia etiam actuum inter vivos, ut non oporteat expectare relatum, ubi referens habet orationem perfectam, Rot. *deciſ. 529. num. 3. par. 5. recent.* Gait. *de cred. cap. 2. tit. 3. num. 143. & ſeqq.* Add. ad Buratt. *deciſ. 52.* & conferunt etiam deducta per Peregr. *de fideicomm. art. 16. n. 111. in princ.*

6 Conſtituta igitur dicta theorica, ſuper qua ſcribentes hincinde concordamus, tota controverſia reſtringebatur ad applicationem, an potius in una, quàm in altera ejuſdem diſtinctionis parte verſaremur; Et in hoc multa hincinde deducebantur, vel à ſimili, vel cum regulis generalibus, quæ omnia dicebam ego continere flores, ſeu ornamenta ſcripturarum, cùm deciſio abſque alia librorum apertura, vel examine concluſionum penderet à ſola lectura teſtamenti, ex quo indaganda eſſet teſtatoris voluntas, an ſcilicet iſta eſſet perfecta, ac determinata, vel potius indeterminata, & explicata per viam ſimplicis velleitatis.

Reflectendo autem ad ſolam veritatem, de qua etiam ante hujuſmodi diſputationes ego reſpondi, juſtæ ac probabiles viſæ fuerunt reſolutiones, quodque voluntas ordinandi fideicommiſſum eſſet perfecta, & determinata, reſervatio autem futuræ diſpoſitionis non percuteret ſubſtantiam, ſed accidentia, nempè modum, cum quo fideicommiſſum regulandum eſſet, an ſcilicet eſſe deberet pro ſolis maſculis de linea maſculina, vel etiam pro omnibus tam agnatis, quàm cognatis utriuſque ſexus, & an in forma ſimplicis fideicommiſſi admittentis ſimultaneum concurſum plurium, vel potius in forma majoratus, ſeu primogenituræ cum ſimilibus.

7 Plura verò id ſuadebant; Primò favor deſcendentium, cum quibus etiam verba enunciativa, vel præſuppoſitiva, ſeu aliàs de per ſe non apta, latam recipiunt interpretationem, ut cæteris relatis advertitur *deciſ. 460. n. 16. part. 1. rec.*

Secundò illa theorica, quam pluries in præcedentibus habemus ad materiam famigerati *conſil. 636 Decii*, an ſci-
8 licet ex ratione aſſignata, ſeu aliàs explicata voluntate conſervandi bona in agnatione, vel alio perſonarum genere, reſultet, necne fideicommiſſum purum, ac reſtitutorium in caſu mortis, ut ſcilicet attendatur, an talis ratio, ſeu voluntas nullo alio diſpoſitivo fideicommiſſo reſtitutorio præcedente ſtet principaliter, ac per orationem independentem, vel potius acceſſoriè, ſeu famulativè alteri diſpoſitioni, ut primo caſu inducat fideicommiſſum, non autem in ſecundo, quod rectè ad rem applicari poterat, ut latiùs advertitur in ſecunda hujus cauſæ deciſione ſuper iſta theorica penè totaliter diſcurrente, dum intentio conſervandi bona in filiis, & ſucceſſoribus Neapolionis explicata erat in oratione principali, ac independenti à quacumque alia diſpoſitione, deindeque acceſſoriè, ac famulativè adjecta fuerat reſervatio faciendi declarationem in codicillis, ibi, *E perche intendo li miei beni ſi conſervino, &c. però mi riſervo di far dichiarazione, &c.*

Tertiò, quia reſervatio facta non eſt futuræ diſpoſitionis, ſed declarationis tantùm; declaratio autem non continet novam diſpoſitionem, ſed illam jam factam præſup- 9
ponit, eam fortè dubiam clariùs explicando, juxta bonum textum *in l. adeo 7. ff. de acquir. rer. dom.* ubi datur exemplum excutientis grana à ſpicis, cui faciens declarationem aſſimilatur, ut pluries advertitur in præcedentibus, præſertim in Romana fideicommiſſi de Boncompagnis *diſc. 55.* & in aliis ibi proximis.

Quartò clarius, quia expreſsè teſtator dixit declarationem faciendam percutere modum, ibi, *Secondo la quale circa ſoſtituzione, e fideicommiſſo ſi abbia da regulare il preſente teſtamento.*

Quintò, quia in codicillis, faciendo quoddam legatum filiæ feminæ, illi prohibuit, ne moleſtias inferret dicto Neapolioni, ejuſque filiis, quos proinde præſuppoſuit jam vocatos.

Et ſextò demùm clariſſimè, quodque in ſecunda propoſitione captivavit intellectum eorum, qui in prima dubitabant, quod teſtator expreſsè dixit, ut eo dictam declarationem non faciente, adhuc teſtamentum omninò ſervari deberet, quoniam talis erat ejus determinata voluntas; & his addebam Ego duas alias conſiderationes; unam, quod teſtamentum, non à Notario, vel alio ſapiente ordinatum erat, ſed ab ipſomet teſtatore, rudi, & groſſolano modo illud ſcribente, ideòque ſubſtantia veriſimilis voluntatis magis attendenda eſt, quàm formalitas verborum; & ſecundò, ob ejuſdem teſtatoris nobilitatem, & qualitatem, ob quam iſta voluntas de facili præſumitur, ac redditur probabilior, dum receptum habemus nimiùm teſtatoris qualitatem attendendam eſſe pro ejus voluntate indaganda, ſeu interpretanda, ut advertitur ſupra *diſc. 41.* & in aliis pluries.

ANNOT. AD DISC. CXVIII.

Diſpoſitio quando perfecta dicatur, vel potius remanere in terminis velleitatis, habetur plenè deductum *ſub tit. de teſtam. diſc. 12. cum ſeqq.* ubi videri poterit.

Duæ priores deciſiones habentur impreſſæ *deciſ. 464. par. 14. & dec. 159. par. 15. recent.*

SUTRINA, ſeu CIVITATIS CASTELLANÆ FIDEICOMMISSI

Ad petitionem

MARIÆ, vel FLAMINIÆ BOSCHETTÆ.

Conſilium pro veritate, cum aliqua diſputatione habita coram A.C. ſub ignoto exitu.

Diſpoſitio teſtatoris; ut veniente certo caſu ſervari debeat teſtamentum ejus patris, vel alterius majoris, an intelligi debeat per veritatem, itaut ſuccedant perſonæ in teſtamento relato vocatæ, ac verè cenſeatur paterna diſpoſitio, vel potius per ſimilitudinem; & quatenùs teſtamentum relatum nullum contineat fideicommiſſum, an iſtud referens evaneſcat.

SUMMARIUM.

1 *Caſus controverſiæ.*
2 *De Statuto Urb. 142. habente locum in toto diſtrictu ſublata differentia ſalis, & focatici.*
3 *Appellatione juris communis in Statutis particularibus, an veniat jus Romanorum, vel Statutarium Civitatis dominantis.*
4 *Secunda diſpoſitio habens relationem ad aliam, quæ evanuerit, an remaneat inutilis.*
5 *An dicta diſpoſitio relativa operetur per veritatem, vel per ſimilitudinem, & num. 9.*
6 *Iſta quæſtio ceſſat ſi pro una, vel altera parte concurrant conjecturæ.*
7 *Teſtium numerus requiritur in adimenda, vel immutanda clara teſtatoris voluntate, ſed ad eam declarandam, teſtes ſingulares ſufficiunt, ac conjecturæ.*
8 *Teſtator quando dici debeat dilexiſſe ſororem, magis quàm propriam filiam.*
9 *Diſponens relative ad alienum teſtamentum, cenſetur diſponere de verbo ad verbum, ſicuti in eo continetur.*

DISC. CXIX.

Joannes Baptiſta Boſchettus aſſignata dote Mariæ filiæ, 1
hæredem inſtituit Camillum filium, cui ſine filiis morienti ſubſtituit in dimidia hæreditatis Mariam prædictam; & moriens deinde Camillus, ſuperſtitibus Joanne Baptiſta, & Flaminia, relicta huic dote, illum hæredem inſtituit, eoque ſine filiis moriente ſervari voluit circa ejus hæreditatem teſtamentum paternum, unde facto caſu mortis dicti Joannis Baptiſtæ junioris in pupillari ætate, ſuperſtitibus prædictis Flaminia ſorore, & Maria amita; hinc orta eſt inter iſtas quæſtio ſuper dicta ſubſtitutione, ad cujus ſcilicet favorem illa aperta eſſet, atque incertus ex cujus parte de conſilio pro veritate requiſitus eſſem, (probabiliùs fortè ex parte Mariæ, cùm omnia bona, de quibus erat quæſtio, dependerent ab hæreditate Joannis Baptiſtæ ſenioris,) antequam de principali quæſtione inſpicerem, ponderavi, an intraret Statutum Urbis 142. per quod filii in conditione poſiti cenſentur vocati, quoniam ita prædicti Camilli filii, non patri, ſed avo ex propria perſona tanquam in conditione poſiti jure fideicommiſſi ſuccederent, unde ceſſaret omnis quæſtio, etiam illa tacitæ pupillaris contentæ in vulgari reſpectu Joannis Baptiſtæ in pupillari ætate defuncti, dum ſecundus teſtator ad ſuam hæreditatem, diſpoſitionem ut ſupra relativam reſtrinxerat.

Et primo aſpectu videbatur Statuto locum eſſe, cùm Oppidum Ronciglioni, ubi teſtamentum conditum fue-
2 rat, atque teſtator vixerat, ac objerat, eſſet intra diſtrictum; nil obſtante, quod eſſet infeudatum, quoniam licèt antiquitùs dubitatum fuerit, an Statutum ligaret ſolum ſubditos populi ratione ſalis, & focatici, ut conſtat ex *deciſ. 551. part. 1. diverſ.* Attamen iſta dubitatio reſultans è Statuto antiquo, ſublata fuit per Statutum novum, per quod, ſublata hac differentia, indiſtinctè vim habet in diſtrictu, ut in individuo occaſione iſtius Statuti 142. dictum fuit in Veliterna fideicommiſſi 28. Junii 1632. coram Veroſpio, ac de facto ita ſervari videmus, quia indefinitè in omnibus locis tam mediatè, quàm immediatè ſubjectis, & per Barones, ac Domicellos poſſeſſis, Statutum intrat, excepta Civitate Tiburtina, quæ prætendit ſe non venire ſub diſtrictu, & in quo Rota variavit.

Verùm ultra difficultatem reſultantem ex præſuppoſita hujus loci inveſtitura continente omnimodam diſmembrationem à juriſdictione Urbis, ejuſque Statutorum, & de qua inſpicere opus non fuit; tum quia inveſtitura non habebatur; tum etiam ex ſequenti motivo; omnis difficultas in hoc ceſſavit ex eo, quod ejuſdem loci Statutum particulare abſque dubio generali Urbis præponderans, expreſsè diſponit, ut in caſibus omiſſis ſervari debeat jus commune, quod forſan prudenter actum fuit ad dictam præcedentem quæ-
3 ſtionem dirimendam; appellatione autem juris communis, verior, ac recepta opinio eſt, non venire Statutarium Civitatis dominantis, ſed commune Romanorum in volumina de Juſtiniani mandato redactum, & quod ſecundum communem uſum loquendi, commune ad differentiam municipalis vocatur, ut verius ſæpè firmavit Rota, præſertim *deciſ. 198.* poſt Merlin. *de legit. deciſ. 22. & 106. par. 9. recent.* & in aliis plenè cumulatis per Adden. *ad deciſ. 378. part. 4. rec. to. 2. n. 11. cum ſeqq.*

Quare hujuſmodi conſideratione ceſſante, atque dictæ controverſiæ deciſione pendente à puncto, an & quomodo dicta relativa diſpoſitio Camilli ſecundi teſtatoris capienda eſſet, per veritatem ſcilicet, vel per ſimilitudinem; hinc
4 proinde duplicem in propoſito dixi intrare quæſtionem; unam nempè, an ſecunda diſpoſitio, quoties relativa eſt ad alteram, quæ jam evanuit, nullumque continet fideicommiſſum, tanquam relationem habens ad falſum præſuppoſitum, evaneſcat, atque inutilis remaneat, & hic eſt caſus, de quo agunt Alex. *conſ. 81. lib. 6.* & Berett. *conſ. 130.* concordantes, diſpoſitionem inutilem, ac nullius operationis eſſe, quod etiam aliis relatis tenent Fuſar. *q. 498. n. 2. 4. & 6.* Caſtill. *lib. 4. contr. cap. 43. nu. 36. cum ſeqq.* niſi certitudinaliter conſtet de voluntate diſpoſitiva, quæ in ſcriptura referente ſit perfecta, ut latiùs Caſtill. *loc. cit.* in quo ſolùm melior ſtylus deſideraretur; alteram verò poſito, quod ſubſiſtat, quomodò regulanda ſit.

Attenta prima propoſitione, nullum dicebam jus competere Mariæ, cùm teſtamentum relatum quoad diſpoſitionem ad ejus favorem conceptam jam evanuerit per obitum Camilli hæredis gravati cum filiis, juxta receptiſſimum *conſ. 21.* Oldradi, & de quo puncto relativæ diſpoſitionis ad aliam ſcripturam, quæ non appareat, vel ſi appareat, non contineat id, quod in referente præſupponitur, videri poſſunt deducta *diſc. præc.*

5 Unde propterea inanem dicebam laborem aſſumendi alteram quæſtionem, in qua certant Dec. *conſil. 362. & 497.* & Soccin. jun. *conſ. 75. lib. 3.* Siquidem Decius vult relationem operari per veritatem; ideſt, quod verè, & propriè fideicommiſſum in teſtamento referente ordinatum cenſendum ſit paternum; ſeu illius, à quo teſtamentum relatum, ordinatum eſt, ad favorem perſonarum in relata diſpoſitione vocatarum, & quem ſequuntur Beretta *conſ. 74.* & Cravett. *conſ. 987.* Soccinus autem vult oppoſitum, ut ſcilicet cenſeatur ſimilitudinarium, ut quemadmodum primus teſtator deficiente filio maſculo, cui prælationem dederat, filiam fœminam jam excluſam ad ejus virilem reintegrare voluit, ita ſecundus ad ſimilitudinem cum ipſius filiis maſculis, & fœminis idem ſervari voluerit; atque hanc ſecundam Soccini ſententiam pro ſimilitudine magis, quàm pro veritate in puncto juris veriorem eſſe profitentur Peregrin. *de fideicomm. art. 16. num. 114. in fin.* Fuſar. *q. 498. nu. 7.* (qui malè dicit à Decio ita conſultum eſſe) eamdemque latè comprobat Caſanett. *conſil. 56.* qui rationes, & authoritates cumulat, ac relativè ad eum Caſtill. *d. cap. 43. num. 5.* & confert Menoch. *conſ. 326. n. 72.*

Et quamvis Peregr. dictam quæſtionem conſideret, non in ordine ad vocationem unius, vel alterius generis perſonarum, ſed potius ad alios effectus, illum præſertim, an fideicommiſſum ex ſecundo teſtamento referente reſultans, dicendum potius eſſet paternum, & aſcendentis, quàm fraternum, vel tranſverſalis; nihilominùs ratio eſt eadem ad omnes effectus, etiam illum vocationis diverſi generis, ut apud alios habetur præſertim apud Caſanatt. *d. conſ. 56.*

Eſt benè verum, quod hujuſmodi quæſtio percutit caſum 6
omninò dubium, atque ubi nullæ pro una, vel altera parte concurrant conjecturæ diverſam teſtatoris voluntatem indicantes, cùm his concurrentibus eſſet quæſtio, ut advertit Peregr. *loco citato*, & admittit Caſanatt. *dict. conſ. 56.* & eſt ſenſus omnium utriuſque ſententiæ ſequacium; ideòque clariùs pro ſententia Soccini contra Mariam dicebam reſpondendum eſſe, quoniam attenta veriſimili ſecundi teſtatoris voluntate, potiùs dicendum eſt per ſimilitudinem, quàm per veritatem ita diſponere voluiſſe, cùm improbabile videretur, quod ſororem prædiligere, eamque propriæ filiæ anteferre voluerit, atque juxta præmiſſa reſponſum dedi.

Ad plures tamen annos, quibus dictum reſponſum datum erat, introducta per dictas partes cauſa in Curia coram A.C. ac requiſitus pro dictæ Mariæ patrocinio, quamvis memoria in confuſo ſuggereret me ſuper hoc articulo aliàs pro veritate reſpondiſſe, quia tamen adhibitis diligentiis reſponſum inveniri non potuit ob diverſitatem diœceſis, cùm illud datum eſſet ſub intitulatione diœceſis *Sutrinæ*, cauſa verò ageretur cum intitulatione diœceſis *Civitatis Caſtellanæ*, idcircò ſuſcepto patrocinio, potiſſimum conſtituebam fundamentum pro Maria in conjecturata, ſeu declarata defuncti voluntate, dum in facto prius ignoto, juſtificatur per Notarii rogati atteſtationem, quod ſecundus teſtator in lecto jacens, poſt ordinatum teſtamentum, priuſquam ſolemnizaretur, vocaſſet ſororem, eique dixiſſet, ſe teſtamentum ordinaſſe, atque in eo diſpoſuiſſe, quod in caſu mortis filii maſculi ſine filiis, ſervari deberet teſtamentum communis patris, eidem ſorori inſinuando, quod de hoc contenta eſſe poterat, unde propterea dicebam deſumi claram voluntatem ſecundi teſtatoris relativè diſponendi per veritatem, non autem per ſimilitudinem.

Et quamvis de hoc deponeret ſolus Notarius, adhuc tamen id ſufficere dicebam, quia juxta communem, hodieque receptiſſimam diſtinctionem; aut agitur de adimenda, 7
vel aliàs immutanda clara voluntate in teſtamento contenta, & requiritur idem numerus teſtium, qui ad novum teſtamentum, vel ultimam voluntatem ordinandam de jure eſt neceſſarius, cùm in effectu ſit nova diſpoſitio prioris revocatoria; aut agitur de conjecturanda, ſeu aliàs declaranda ambigua teſtatoris voluntate, & tunc teſtes etiam ſingulares, aliæque conjecturæ ſufficiunt, quoniam non attenduntur tanquam diſpoſitio, ſeu probatio, ſed tamquam adminiculum, vel conjectura, ut in ſpecie de Notario, vel alio ſcribente teſtamentum, ſive Advocato illud conſulente, & ſimilibus, Pedroc. *conſ. 2. num. 89. cum ſeqq.* Rovit. *pragmat. 2. de Notarii, num. 20.* Mantic. *de conjectur. lib. 3. tit. 1. num. 33.* Simon. de Prætis *de interpretat. libr. 1. dubitat. 1. ſolut. 1. fol. 35.* & generaliter de Confeſſario, vel alio habetur in Catacen. hæredit. 28. Maii, & 24. Novembr. 1649. coram Cerro *deciſ. 310. & 350. par. 10. recent.* in Romana annuæ præſtationis 4. Julii 1663. coram Bevila-

qua